R 94

R. 12

R. 12°

b18936027

QVAESTIONES
PRACTICÆ, MEDICÆ, ET CHIRVRGICAE.

AVTORE DOCTORE AVGVSTINO Vazquez, Medico, publico Professore, in Gymnasio Salmanticensi.



Cum Priuilegio.

SALMANTICÆ,

Apud Ioannem, & Andræam Renaut fratres.

Anno M D L X X X I X.

b18936027

QVAESTIONES PRACTICÆ, MEDICÆ, ET CHIRVRGICAE.

AVTORE DOCTORE AVGVSTINO Vazquez, Medico, publico Professore, in Gymnasio Salmanticensi.



Cum Priuilegio.

SALMANTICÆ,

Apud Ioannem, & Andræam Renaut fratres.

Anno M. D. LXXXIX.

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Doctor Augustin Vazquez Cathedratico de Medicina en la Vniuersidad de Salamanca, nos fue fecha relacio diziendo que vos auiades copuesto vn libro intitulado Quæstiones Practicas sobre la Medicina y Cirurgia, el qual os auia costado mucho estudio y trabajo y era muy vtil y prouechoso, suplicandonos os mandassemos dar licencia y facultad pa le poder imprimir y priuilegio por veynte años, o como la nuestra merced fuesse, lo qual visto por los del nro consejo, por quanto en el dicho libro se hizo la diligencia q̃ la Pragmatica por nos sobre ello fecha dispone, fue acordado q̃ deuiamos mandar dar esta nra cedula en la dicha razon y nos tuuimos lo por bien, por la qual vos damos licencia facultad para q̃ por tiempo y espacio de diez años cũplidos primeros siguientes q̃ corren y se cuentan desde el dia de la data desta nra cedula en adelante vos, o la persona q̃ para ello vro poder ouiere y no otra persona podays imprimir y vender el dicho libro q̃ de suso se haze mencion, y por la presente damos licencia y facultad a qualquier impressor destos nros reynos q̃ vos nõbraredes, para q̃ por esta vez le pueda imprimir con q̃ despues de impresso antes q̃ se venda la trayga al nro consejo juntamente con el original q̃ en el fue visto q̃ va rubricada cada plana y firmado al fin del de Lucas de Camargo nro escriuano de camara para q̃ se vea si la dicha impresiõ esta cõforme al original y traygays fe en publica forma en como por corrector por nos nõbrado se vio y corrigio la dicha impresiõ por el original y se imprimio cõforme a el y q̃ quedã ansi mismo impressas las erratas por el apũtadas para cada vn libro de los q̃ ansi fueren impressos, y se os tasse el precio q̃ por cada volumen ouieredes de auer, y mãdamos q̃ durante el dicho tiẽpo

persona

R. 277356 13 JUN. 1983

persona alguna sin vuestra licencia no lo pueda imprimir, ni vender, so pena que el que lo imprimiere y vendiere aya perdido y pierda qualesquier libros moldes y aparejos que del tuuiere, y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere, la qual dicha pena sea la tercia parte para el juez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para nuestra camara, y la otra tercia parte para el que lo denunciare, y mandamos a los del nuestro consejo Presidente y Oydores de las nuestras audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nuestra casa y corte y Chancillerias y a todos los Corregidores, Assistente, Gouernadores, Alcaldes mayores y ordinarios y otros juezes y justicias qualesquier de todas las ciudades, villas y lugares de los nuestros reynos y señorios, a cada vno dellos en su jurisdicion, assi a los que agora son, como a los que seran de aqui adelante, que vos guarden y cumplan esta nuestra cedula y merced que assi vos hazemos, y contra ella no vos vayan, ni passen, ni consientan yr, ni passar en manera alguna, so pena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara. Fecha en Sant Lorenço a onze dias del mes de Iunio de mil y quinientos y ochenta y ocho años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor.

Iuan Vazquez.

a 2

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA
13 JUN. 1983

ERRATA.

Pagina.3.lin.27.capite,capiti.in qua deficit& vt dicat, & aliquẽ fluxũ capiti mouere.pag.4.lin.15.eo,id.p.5.lin.3.29.19 ead pa.eis.superest.p.8.l.5.non nam.p.8.l.10.est.esse.p.9.l.14 probat.probant pa.11.l.28.patere.patet.p.12.l.14.Craclidis.Eraclidis.p.16.l.15.1.apho.7.2.aphor.15.p.16.l.24.admittit admittere.p.17.l.1.disputare.desperare.p.18.l.10.omißii.omißis.p.19.l.14.nigrum.ingirum.p.20.l.1.condriaca.hipocõdriaca.p.20.l.8.quo.qua.p.21.l.2.deficit à nõ vulsione.pa.21.l.17.ostensa.offensa.p.25.l.14.cõtinire cõtingere.p.25.l.22.nã.etiã.p.31.l.6.situ.si tamen p.38.l.10.amoueãtur admoueãtur.p.ead.l.17.cluneũ.crurñ.ead in titul.quæst.de vsu trebentitionis.de vsu terbentinæ.p.40.l.20.lieni lum.p.41.quæst.1.titul.dextris lateris abũdat.p.41.l.24.tit.text.p.42.l.1.sunt.abũdat.p.43.l.22.illos alios.p.43.l.30.ad phlebotomiã.ad lipotomiã.p.44.l.8.applicãda.applicãdas.p.46.l.1.potenti.in potenti.p.47.l.5.98.vbi.p.47.l.27.vnde.an.pa.48.l.10.cresa,lemnia.p.49.l.19 ne.re.pa.51.l.13.mula.tota.p.52.philoniã.philoniũ.p.55.l.10.Galeno Galenus.l.14.experite,ex parte.p.57.l.18.quod,nõ quod.p.59.l.1.intẽperies,intẽperiæ.p.62.l.3.ca.1.&.p.63.l.4.alium,aluũ p.65.l.10.stipata.stipcitas.l.5.nõ mortalis,mortalis.p.80.l.2.ad modũ, ad mediũ.p.81.l.13.si ventris,si virtus.p.83.l.14 præparati,præparato.p.86.l.4.nõ cõuenit,ergo nõ conuenit.p.87.l.7.si integru,si integra.ead p l.21.gliserrita,glizerhiza.pa.88.l.15.emplastri,emplastro p.89.l.15.cõstructione,cõstrictione p.94.l.1.consistenti,cõsistentiæ p.95.l.8.vacuatione,in hac paßione.p.96.l.6.calidi.calidis.p.102.l.27.trahẽdus extrahẽdus p.104.l.17 ernogloſa,arnogloſa.p.105.l.4.carisniæ,charißimæ p.106.in titulo est mẽda de rara &, & rara de p.107.Auiceni,Auicenæ.p.108.l.8.qui quæ.p.109.l.15.3ali venãta li.p.109.l.17.inflãmatione.inflatione.p.111.l.21.quas,quos.p.112.l.6.artificiũ,artificio p 113.l.16.ex principio,experientia.p.115.l.18.probũ,prauũ.p.116.l.22 ipse.ipse Gale.p.119.l.27.diusi.disisti p.120.l.7.ijs,in his.p.122.l.7.hemenocalo,hemerocali.p.125.l.21.cuius sententiæ,cuius cõtrariæ sentẽtiæ.p.127.l.12.recesim in humiditatis,recessum humiditatis p.132.l.14.probum.prauũ.p.146.l.vlti.particam.particulã.p.164.l.15.iuscida.viscidus.p.165.l.13.cißimis cißimis.p.170.l.18.vbi.vti.pa.176.l.28.dicenprorum.dicendũ.p.195.l.1.nonnullã querimoniã,uonnullas querimonias.p.196.l.13.sciſione scisionem.p.198.l.10.tumorosa,timorosa p.201.l.15.ne,in.p.204.l.8.vacutionis,suitionis.p.210.l.18.tãtas,tentas.p.214.l.21.cõuenire,nõ cõuenire.pa.216.l.17.remouere,remorare.p.219.l.27.gurgubionis,gurgulionis.p.224.l.11.debilitatẽ,siecitatem.p.227.l.9.ne,in.p.227.l.16.nec,hæc.p.229.l.12.se,si.p.234.l.18.& ita, & ita ad.p.235.l.2.repertit,repercutit.p.237.l.17.nec ne,clarè.

AMPLISSIMO D. DIDACO, LICENTIATO Pacheco, vtriusque Iuris peritissimo

Augustinus Vazquez. S. exoptat.

INTER PRÆCLARA, ET eximia in hoc orbis theatro ad contemplandũ (amplissime vir) diuinitus posita, nihil certe Dei prouidentia admirabilius cerni, quicquam potest: ea enim fortiter, & suauius disponens omnia, diuinitatis suæ vestigia, & seminaria, inserere rebus è fonte pleno, & omnipotentia sua ad mundi tutelã voluit: non alia de causa quam vt nos pietatis suæ cultu, veritatis & disciplinarum bonarum inquisitione ad sui amorem rapiamur: quæ autem cum multa sint, ac diuersa propter diuersam hominum propensionem, & inclinationem, diuersa diuersi appetunt. Alij cælorum ordinatum motum contemplantur, dum vicissitudines nocturnas, & diurnas præmeditantur, tempora decedentia, & remeantia expetendo: nonnulli vero naturas rerum illustrant, veluti metallorum, herbarum, plantarum, gemmarum, in quibus diuersa gaudet facultas, quæ ab homine veluti imagine Dei contemplatur. Hæc autem pars medicis tantum grata necessariaq; vt finem suum assequantur, omitto tantum sui proprij hominis partem cognitiuam, quæ cum à nobis tot annis Salmanticæ fuerit illustrata, alterius tamen, vt diximus via est, vt finem assequamur nostrum, & maximi momenti, & non solum vt à nobis ipsis medicam artem exercentibus excolatur, sed vt à viris grauissimis, tanta (vt tu vir grauissime) eruditione plenius diligatur, in qua cum à prima ætate plurimos progressus feciss̃em, iterãdo, legendo, plurimos de hac re viros consulendo, tanquam potissimum fundamentum reliqui vt ad maiora, & prouectiora transirem, videlicet ad therapeutice præcepta gradum feci: adeo insudaui vt spatio sex annorum vtramq; methodum cum meis amantissimis comilitonibus vniuersam absoluerim, solum quod mei muneris erat explicando, diluci dando, quare sic in animum induxi meum (Mæcenas optime) Deo duce & auspice semper me totum dare huic parti medicinæ, atque hoc tandiu proposito in continuis disputationibus non desisterem hæc scripsi, quæ grata intelligo erunt, licet non minus grauia, non medicina magistris, sed profitentibus hanc artem potissimum qui non ver-

santur continuo in scholis, cum ab his disputationibus remoti ad memoriam reuocare possint quæ se offerunt in medendo: his ergo bene accepta erunt non stylo obscuro, & neumatico, sed leui plano, & cum necessarijs sententijs principuum medicorum sunt scripta, ex quibus non solum controuersias componant, sed methodum verissimam quisque curandi: discat: tandem remedia vnicuiq; ægritudini (quæ potissima operis lucubrati ratio fuit) quã ita spero profuturã, sicuti noster animus syncerus exoptat quẽ non intelligo. nec adoctis nec ab indoctis repulsam passuram. Hæc ergo scripta nostra si bene apparent, promitto (Deo volente) aliqua selectissima scriptis mandare. Sed cum agitarem fœturæ meæ magnam ex te ausionem futurã magnũq; applausum si sub tui nominis splẽdore, & gratia in lucem exierit, ausus sum) præclarissime Domine) id tibi operis consacrare, quod â me esse magnis vigilijs elaboratum, & quia magnis rationibus sum adductus inter quas illa vna sit, quia quo primũ aditum tibi ad nos patefecisti dum summa nobilitate animi candore Salmãticæ prudentiæ iuris incũberes, inter clientulos tuos mihi potissimum humanitatis tuæ specimẽ dedisti, vt iam exinde ea mihi policeri auderem quæ de optimo, & præstãtissimo viro omnibus omniũ & virtutũ & literarũ ornamẽtis exculto, & summa dignitate ornato, expectari, à quoquã merito possint. Secũdo vero nõ minor causa (licet interesse ad meas partes videatur) quod tãta veteris beneuolẽtia & gratia erga tuos, ac tandẽ familiaritate, vt nulli deneges clarã tuã spem, & voluntatẽ quibus omnibus tuos ita persequeris vt ab ore tuo omnes pendẽtes vtriusq; familiæ, & diuinitus in tui amorẽ rapiãtur quis ergo viso te nõ gaudeat? & gaudẽt omnes solũ nomine tuo aures petente. Tertia causa & potissima est quia nullũ opus apud mortales stat quod repulsam non patiatur id autẽ quãdo à nullo defensam sustinet in ruinã peruenit à qua raro liberatur: cũ ergo hoc nostrũ munusculũ te vnũ defensorẽ habeat, ab ea securũ vt tutũ patrociniũ dederis tãta tua autoritate tãto splẽdore, vt omniũ maleuolentiũ oculos linguas cõfundat. Vltima causa & inuitabilis est, quia cũ nulla alia in re me tibi gratũ possem ostendere, & memorẽ beneficiorũ tuorũ ad molã salsam me cõtuli tibi offerendã, & lucubrationẽ hanc meam, obseruantiæ in te symbolũ libens offert: hac conditione, vt quod deficit in ipso luminis splẽdore autoritate, & sapiẽtia faueas eo quod sis rerũ optimarũ diligẽtissimus obseruator ostẽdũt autẽ id cõtinuus in vtroq; iure labor, vnicũ vitæ exẽplũ sanctitas morũ integritas, vt turris firmissima omniũ virtutũ plena, vt cito nostra Ecclesia clarissimũ antistitem te expectet. Accipe clarissimè exigua munuscula, quæ tibi offero, desiderando in multo maioribus te patronum suscipere. Vale prosperrime Domine aluanæ domus eximium decus & ornamentum & me qui tua, gratia dignum feci sti, eadem ipsa fouere velis.

AD LECTOREM.



TSI antiquitus Roma dominatrix omnium scientiarum, omnibus scientijs abundaret, & potissimum eloquentia, cui præcipuè omnes se tradebãt, referente Plinio, & Cornelio Celso viro grauissimo in procœmio suæ medicinæ. Tantũ ergo huius scientiæ defectus artificio reparabatur, existimantes cum pro sua æua Hippo. & Gale. deficerent, qui principes medicinæ erant alijs haud posse satis fieri curationibus, & medellę morborũ. Et ita refert Marcus Cato in epistola, quã scribit ad Marcum filium. Cuius causa commotus Cornelius Celsus elegantissimo stylo illam simulauit, vt audacissimè in omnium conspectu apparuisset, & à nemine prorsus repulsam pateretur, qui graui industria id fecit, non ratione quæstus, quia satis diues erat, sed, vt suo stylo ornatissimo maiorum præcepta cõmendaret; quam commendationem, & causam legitimam cum perspiceret Romanorum cœtus, ita illos in admirationẽ euexit, vt medicinam sexcentis annis explosam, denuo ex animo reciperet. Nam præter eloquentiam, quam in primis duobus libris ostenderat, adeò artificiosè medicinæ præcepta tradidit, vt maxima necessitate illos coegerit medicinæ partem practicam maximè esse æstimandam. Ita refert Plin. lib. 1. & lib. 11. à quousque in nostrum æuum adeò ab Arabibus, & Græcis posterioribus exculta fuit, vt non solum nostro indigno stylo indigeret, sed nec multo magis artificioso. Sed cùm ad nostrũ seculum magna existimatione peruenisset, & in eo plures adsint grauissimæ disputationes, ex vtraq; schola pendentes, quarum quædam ab antiquissimis viris fierunt deprompta, quædam verò ex meditatione hominum sint adinuentæ, quæ partem theorices respiciunt, peritioribus, & quibus vacat per otium relinquimus. Quæ partem praxis concernunt assumpsimus

pſimus ad diſputandas, non penuria grauiſsimorum authorum, ſed, quia, vt nobis viſum fuit abſit tanta machina barbarorum authorũ, qui eaſdem inopes faciunt, & in intelligibiles vt noſtra reſolutione confidentes, tum curantibus, tum ſtudentibus conemur ſatisfacere, & in eiſdem euoluendis aliorum labores nobis non imponemus, ſed vnicuique, quod ſuũ eſt damus. Non ſolum his, qui ſcriptis mandarunt, ſed maioribus, & præceptoribus ſua ſelectiſsima perſcribimus. Semper fidelitatem ſeruaui, & contemporaneos euexi, tum, quod meritis plurimis donentur, tum quod amore intimo eos proſequar, à quibus ſpero, hoc noſtrum munuſculum defenſum ſubiri, vt nemo ſit auſus, nec labijs, nec ore id detractare. Et, vt noſtram orationem ad dilectiſsimos milites conuertam, qui tam graui deſiderio hoc opus efflagitarunt, rogo, vt attentè legant, & ſi aliquid, quod non arrideat præhabitis viris grauiſsimis ſuæ cupiditati tribuant, quia tum amor noſter, tum illorum quotidiana efflagitatio noſtræ præcipitationis cauſa fuerunt. Tantum volumus vtilitatem, & non vulgi famam. Et Deo noſtro opera commendando, qui ea erigat, & non arrogantiæ nomen acquirant: ſed hunc ſeruum ad meliora inclinet, & præterita non reſpiciat. Amen.

QVAESTIONES PRACTICÆ, MEDICÆ ET CHIRVRGICÆ.

Autore Doctore Augustino Vazqui Medico in gymnasio Salmanticensi, Medicinæ & Anathomes professore.

PRIMA QVÆSTIO.

PRIMAM difficultatem, Deo duce, aggrediendo de capitis dolore versabitur, omissa quæstione de causis doloris, in qua tam varij, & elegantes authores disputarunt, vt nostro calamo non indigeat: præsertim cum nostrum institutum tantum sit, quæstiones, p axim concernentes, euoluere. Et prima difficultas est, vtrum dolor capitis possit occupare partem, & non totum: hoc est, possit esse, in vna parte, & non in toto cerebro. Quod necesse sit, vniuersum cerebrum consentire, certum est, quia dolor capitis accidit, per consensum ventriculi, potissimum oris ipsius, & è conuerso ex dolore, & affectione capitis fit nausea, & subuersio ventriculi. Vt constat ex Galeno lib. 7. Metho. cap. 11. & in lib. 1. de locis c. vltim. 3. de locis cap. 7. ergo non poterit esse in vna parte, quin sit in alia: quoniam maior consensus est cerebri, cum se ipso, quàm cum alijs partibus. Sed in contrarium est dolor emicraniæ, qui dolor semitus capitis est. Præterea id ostendit Anathomes, nam cerebrum diuisum est, per tertium sinum duræ meningis, vt manifestè distingua tur pars dextra à parte sinistra. Præterea dolores capitis ali

quando in craneo, aliqñ impericraneo, aliqñ in meningibus, aliqñ in substantia cerebri, qui omnes distinguuntur lib. 2. per loc. c. 1. ex profunditate doloris, & acutie; ergo necesse est vt fiant aliquando in vna, aliquãdo in altera parte. Vnde obiter videbis, in quo errore versentur scriptores, vt dicant cerebrum non habere sensum, & probant falso testimonio Galeni in lib. de facul. naturali. sed talis sententia Galeni non reperitur, & quod sentiat, clarè constat ex Galeno lib. 2. per locos cap. 1. & lib. 8. de vsu. 2. part. c. 1. quod si Gal. 1. de Sympto. causis cap. 8. dicit, non esse instrumentum sentiendi, dicit, facta comparatione ad neruos qui sunt instrumenta sentiendi, sicuti ex corde arteriæ sunt instrumenta pulsandi, sed ne imperitè ab instituto deuiemus, ad quæstionem principalem reuertamur, in qua tantum quæritur: quæ nam sit causa, cur ab vna parte, vel ex vna parte cerebri alteri non communicetur. Matthæus de gradi. lib. 9. ad Almansorem insinuat, causam huius cõ sistere in maiori continuitate cerebri cum neruis sextæ coniugationis, quod sub consideratione cadere nõ potest. Nam totum cerebrum cõtinuum est, & velamina, etiam si diuisionem patiantur per sinus. Potius ergo in fortitudine, & langore partis, & acliuitate membrorum mandantium, & recipientium, vel quoniam magis ex directo respiciant cor, vel iecur, vel ventriculum & ex eo ista nostra responsio poterit constare, sic conuulsio, & paralysis magis ad vnum latus, quam in alterum declinant: & in eadem parte, vt aliquando ad interiorem, aliquando ad exteriorem declinent, & ita sub breuibus manet soluta quæstio.

QVAE-

QVÆSTIO II.

De dolore capitis.

SED circa dolorem capitis quæstio suboritur. Vtrum in doloribus capitis, qui à sanguine vel à materia calida dependent, vena secanda sit, cephalica, vel basilica, quã quæstionem disputant interpretes apud Auicen. 1.3.tract. 2.cap. de soda sanguinea, & circa Rasium lib. 9. ad Almanso. cap. proprio. Barbari omnes censent, venam secandam esse communem, existente plenitudine, quæ respiciat vniuersum corpus. Primo probant authoritate Auicennæ. 4. 1.cap.2. vbi docet, quod vena cephalica capiti communicat, ergo in principio potius ad caput traheret. Secundo etiam probant, quia in principio fit reuulsio, sed maior fit reuulsio ex vena media, ergo ab ista debet fieri venæ sectio. Sed his non obstantibus, verius erit, sanguinem ex cephalica mittere, prima & secunda vice, quia omnis vacuatio, debet fieri ex vena, quæ habeat consensum cum parte læsa, sed reliquæ non habent consensum cũ parte læsa, ergo faciẽda est ex vena cephalica: maior manifesta est, ex Galen. multis locis: & confirmatur ex Gal. libr. de sangui. mis. cap. 17. in casu illo Erasistrati, & cap. 16. ante acto. Præterea probatur manifesto argumento, quoniam vnicuiq; regioni sua priuata vena consentit, sicuti in morbis thoracis basilica, ergo in affectionibus capitis vena cephalica. Nec valet ratio illorum dicentium, attrahi maiorem copiam ex vena consentiente capiti, illud enim intelligitur de vena frontis, & nasi, quæ in ipsomet capite habentur. Vena vero humeraria longo interstitio à capite distat, & vt prosit morbis capitis, aliquem fluxum capite mouere, vt docet Auicen. loco notato. Sed quod magis est, clare sua opinio repugnat Rasio lib. 9. ad Almãso. cap pro-

prio in princ. Auicennæ etiam repugnat. 1. 3. tract. 1. c. 19. De sectione vero venæ capitis, quæ iuxta finem brachij habetur, hac non indiget speculatione, ratione reuulsionis, posse in principio secari, sicuti quæ in fronte, vel in naso habetur, post has omnes vacuationes administrandas esse, & in his secandis is à medico seruari debet scopus, vt in affectibus interioribus capitis, vena nasi, quia cõmunicat cũ sinu tertio duræ meningis, in exterioribus vero, vena frontis, quia cum partibus cutaneis magis communicat. Vnum tamen hic subticendum nõ est Barbarorum, quod postquam in his doloribus antiquis, facta est vacuatio reuulsiua, maximæ vtilitatis est, ex loco affecto venam secare, quod præcipit Galenus lib. de curandi ratione per sanguinis missionem capite de deriuatione, vel de hirudinibus, & lib. de cucurbitulis, etenim eo ostendit Auicenna locõ notato, dum inquit, sed si materia in capite non fuerit fluens, sed fluxa, non oportet diuertere, sed euacuare Galen. in commento illius sententiæ lib. 5. Apho. 68. docet, Hyppocr. illud via reuulsionis faciendum existimare.

QVÆSTIO I.

De Phrenitide.

SED vt ad caput de Phrenitide perueniamus, illud in primis est inuestigandum. Vtrum in omni Phrenitide competat, flebotomia. Ratio dubitandi ea est, quia timorosum videtur, sanguinem mittere in phreniticis, quia sunt debiles, & semper vigilant. Pro parte affirmatiua est Galen. lib. 11. Metho. capit. 18. dum inquit in his cucurbitulis vtendum, si priùs totum corpus vacuatum fuerit, idem lib. 13. Metho. cap. 21. §. itaq; incindenda in tali affectu vena est, nisi quid obstet.

obstet. Præterea in omni dolore, & inflammatione interiori competit flebotomia, ex Galeno lib. 1. Aphor. 24. & melius multo libr. 4. de victu acutorum. 29. vbi eis etiã in biliosis inflammationibus iubet sanguinem mittendum dum modo sint interiores, veluti herpetes, Erisipellata, quam sententiam etiam in phrenitide, Alexand. Tralianus confirmat. lib. 1. c. 13. tit. de euacuatione phreniticorum, idem etiam Auicen. fen. 1. 3. tract. 3. c. 3. cum inquit: communis quidem earum verarum est flebotomia, cuius rei potissima desumitur ratio, ex Galen. lib. 4. de victus ratione citato, quia à loco in quo dolor est, oportet reuellere, sed in nulla alia parte maior dolor potest accidere, quã in inflammatione interna, ergo in phrenitide inchoãdum à sanguinis missione est. Pro parte tamen negatiua, est fortissima sentẽtia Mesuẽ cap. proprio de Phrenitide, vbi docet, non in omni phrenitide competere flebotomiam, vel vti in biliosa, quam sententiam docet Alçarabius vir eximius in praxi. Idem Rasius in suis diuisionibus, & ex eo deducitur, quia in phrenitide biliosa, humor ille separatus à sanguine, potius indiget vacuatione, medicamento purganti, lib. de curandi per sangui. mis. 10. & lib. 4. de sanitã. tuenda. Præterea probatur authoritate grauissima, & communi Auicen. 1. 4. tract. 2. cap. 7. & 4. 1. c. 20. de flebotom. caue ne ægrum perducas ad vnam duarum rerum ad colericorum ebullitionem &c. sed ista ebullitio magis timetur propter cerebrum, ne fiat raptus, ergo existente in cerebro phrenitide non competit sanguine missio. Et ita apparet ista sententia vera, vt non audeant medici, viso phrenitico sanguinem extrahere, propter vulgi opinionem, quia si forsan malè succedit, sibi impingitur error, cui quæstioni his conclusionibus possumus satisfacere. Prima conclusio, in Phrenitide antiqua non est sanguis extrahendus per venæ sectionem, sed per cucurbitulas, ista con-

clusio deducitur ex Traliano loco notato, quoniam ratione diuturnitatis vigiliæ multæ præcesserunt, & cibi abstinentia, & ideo minime possunt sufferre talem euacuationem. Secunda conclusio, si non sit antiqua, sed recens, tuto possumus sanguinem mittere, siue sit sanguinea, siue biliosa quia interna inflammatio nunquam pura, & sincera est. Tertia conclusio, si merè biliosa sit, cum moderamine in principio sanguinem extrahes, & per cucurbitulas, quibus possumus vti in principio, quoties non competit vacuatio reuulsionis gratia, vt docuit Galen. loco citato lib. 11. Metho. & lib. de hirudinibus, & Valeriola in quadam enarratione lib. 4. enarratione ib. quæst. de cucurbitulis, quod si cucurbitulis vtamur, facta sufficienti vacuatione, vt dicit Auicen. loco notato, an scarificatis, vel non scarificatis sit vtendum: non est dubitandum, nos posse vti scarificatis, & sine scarificatione, pro habitu ægrotantis, & procutis demonstratione, pro virtutis permissione & hoc istud iudicio medici relinquendum est. An prius sint applicandæ, superis, vel inferioribus distinguendū est. Hoc modo, vel applicantur vt fiat reuulsio, vel deriuatio, si ad faciendam reuulsionem, à partibus inferioribus inchoandū, si vero reliquo modo à partibus superioribus inchoādum est, & huius sententiæ fuit Auicenna ad finem illius capitis.

QVAESTIO. II.

De Phrenitide.

SECVNDA quæstio de Phrenitide duplicata versatur, circa applicationem medicamentorum topicorum. Prima quæstio disputat, an embrocationibus quibus vtimur frigidis vel tepidis, sit vtendum. Secunda quæstio, vtrum sit vtendū mere repercusiuis, hoc est, adstringentibus,

bus, circa primam dubitationem, clarè docet Auicenna. 1. 3. tract. 3. cap. 3. post med. his vtendum non solum frigidis, sed niue refrigeratis, cuius sententiæ fuit Galen. lib. 13. Metho. cap. 21. & 9. Metho. cap. 17. AEtius vero, treta. 2. sermo. 2. cap. 2. docet, tepida esse admonenda, quoniam cerebrum maximè offenditur à frigidis, & paniculi, vt docet Hippocr. libr. 5. Aphoris. 18. frigidum inimicum cerebro &c. Sed ista sententia non obstante, verissima est sententia Auicennæ dum vult vt frigidis tenuissimæ substantiæ vtamur, vt fluxum cõpescere & calorem attemperare possimus, quid tamen sit dicendum AEtio, dicit Matthæus de gradi intelligendum esse in corpore senili, sed hoc nõ habet locum, quia in illo arguit maiorem recessum, potius dicendum est, ꝙ quãuis ex frigidorum admotione, prohiberent humoris euaporationem hoc nõ intenditur in principio inflammationis, sed repellere humorem quod est alterum genus euacuationis docente Galeno, libro de tumoribus præter naturam capite. 2. & libro. 13. Method. capite. 2. & libro. 4. Method. capite. 3. Quod attinet ad secundam quæstionem, vtrum sit vtendum merè repercussiuis, videlicet astringẽtibus, vel frigidis emollientibus, nõ minor dubitatio est, nam si sit de natura flegmonis potius stiptica, si sit de natura erisipelatis, potius humida: ferè omnes vt huic quæstioni satisfaciant, negant applicanda esse stiptica, quia compingitur humor, & inflammatio, propter difficilem euaporationem durior fit: sed potius debent esse emollientia, quod est tenendum, iuxta illud Auice. 1. 3. tract. 5. c. 3. cũ inquit, incipe ab eo, in quo sit parũ mollificationis, & sedationis doloris, velut sunt rosæ, lactuca, portulaca, quibus semper vtimur & aliijs similibus, vnũ tamen notãt Practici, hoc ideo esse faciendũ, quoniã inflãmatio semper est in paniculis, quasi verè ea quæ stiptica sunt, nõ nocerent magis cerebro, quã paniculis. Sed

hac

hac in parte magis multo est annotandum, quod quando inflammatio exterior faciei, communicat cum interioribus, sicuti in caro Pauli, de quo lib. 3. cap. 7. disputat, nullatenus repercursiua sint apponenda nec humida emolientia, vel stiptica, inquit Paul. ex tali applicatione facilè emori, nisi præhabita maxima euacuatione.

QVAESTIO. I.

De Lethargo.

VTRVM Letargus, fiat & possit fieri in ventriculis cerebri: quia phrenitis, & letargus, etiã si sint contrariæ passiones, semper in eodem loco debent fieri, maior, & communis opinio censet, fieri in membranis, cuius legitima ratio est, non quando cauitates cerebri oplentur, vel apoplexia, vel epilepsia contingit, ergo non fit nisi in velaminibus, & ideo hac in re non est substinenda sententia Iaquini, qui existimat hoc malum cerebri in sola intemperiè consistere, quia Græcorum nullus dixit, apostematũ genus est. Auicenna id annotauit, sat est, quod Galen. 13. Method. 21. dixit contrariam esse dispositionem phrenitidi. Sed an possit contingere in cerebro, vel in cerebri ventriculis inquirendum est. Auicen. 1. 3. titu. 3. cap. 7. in omnibus locis fieri insinuat, infra craneum sunt plures partes, nempe velamina, cerebrum, meatus cerebri, id est anfractus, & ventriculi in quibus omnibus insinuat fieri litargiam. Hanc sententiam censemus esse veram, quia id facile quibus possit cõprehendere ex substantiæ modo, crassæ, vel tenuis: nam materia crassa facilius anfractus cerebri, tenuis & aquosa facilius paniculos, & velamina poterit occupare ex libr. 6. Aphor. 33.

QVAE-

QVAESTIO. II.

De Lethargo.

VTRVM repercusiuis liceat vti, ratio dubitandi est: quia cum sit affectus frigidus magis augebitur, ex horũ applicatione. Rasius primo cõtinentis, Tralianus loco allegato capite proprio de lethargo, tenent à principio, non merè repercusiua competere, sed mixta cum aliquo medicamento calido, veluti, cum oxirrodino parum castorei obtinente: & istam sententiam tenet Matthæus de Gradi, tum vt subtilietur & attenuetur materia, tum etiam, quoniam causa coniuncta magis impingitur etiam si aliquid de causa antecedenti prohibeatur. Sed his non obstantibus Gentilis supra Auicen. 1. 3. tract. 3. c. 9. tenet in principio principianti repercusiuis vtendum moderatis, veluti oxirrodino ex aceto & oleo rosato tribus partibus olei rosati & vna aceti, quam sententiam probat ex Auicenna loco notato, & Galen. lib. 13. Method. cap. 21. §. commune autem vtriusq; oxirrodinũ, nã repellendus à capite est, quisquis iste humor fuerit. Trãsactis vero duabus diebus, ad medicamenta digerentia accedendum, velut ad oleum castorei, vel ipsum oxirrodinum cum castoreo mixtum. Quod autem ita sit faciendum probatur, quia in principio maximè prohibenda acensio vaporum ad supera, vt probat Gal. ibi, his adde, quod acetũ vnicũ remediũ est ædematoso tumori, quia ipsum partim reprimit, partim vero discutit ex lib. 2. de artè cura. ad Glauco. c. 4.

QVAESTIO. III.

De Lethargo.

VTRVM ista repercusiua, debeant applicari in parte anteriori, vel posteriori non minor est difficul-

tas, quidam Barbari dicunt in parte posteriori, propter no cumentum & noxam, quia in isto morbo, noxa magis cõ municatur parti posteriori, ex eo, quia magis læditur memoria, vnde lethargici maximè oblibiosi fiunt: sed his nõ obstantibus, potius talia medicamenta, magis sunt applicanda partibus anterioribus, quam posterioribus, vt clarè colligitur ex Auicen. loco allato, cuius causam affert Gentilis, quia ab anterioribus magis prohibetur diuaporatio, propter acensum venarum, & arteriarum soporem inducentium. Sed multo ea præstantior ratio est, quæ desumitnr à Galeno lib. 13. Method. cap. 22. citato, quia partibus posterioribus partes anteriores capitis moliores sunt, & plures sint suturæ, per quas facilius iter medicamentis paratur, & ita ex anathome colligitur, & ex his quæ sæpius Galen. lib. 9. de vsu par. & lib. 11. passim docet.

QVAESTIO I.

De Apoplexia.

QVæritur & merito in hac. 1. quæst. de Apoplexia sitne fortior syncopi, pro cuius meliori introductione, notandum hic, non fieri comparationem cum animi deliquio, sed cũ syncope, quæ est præceps virium lapsus, vt dicit Galen. l. 12. Metho. 5. suppositis his pro vtraq; parte difficilima sunt argumẽta, quod sit fortior & mortalis syncopis probatur, quia affectio est periculosior in qua plures facultates & virtutes læduntur, sed in syncope læduntur tres facultates, vt habet Gal. loco citato, ergo est fortior & periculosior, & confirmatur, quia dato casu quod syncopis solius cordis esset integra affectio, vel lapsus, dignior est facultas cordis, quã cerebri, docente Galeno lib. 7. Metho. c. 13. lib. 9. Meth. 10.

Præ-

Præterea facilius curantur morbi ex repletione quam ex inanitione, ex lib. 7. Metho. cap. 6. in fine. ergo facilius curatur Apoplexia quæ suboritur ab infarctu, humorum frigidorum occupantium ventriculos cerebri Ex altera parte instat Hippocr. lib. 2. Aphor. 42. apoplexiam fortem solvere est impossibile, debilem vero non facilè, sed syncopis fortis quotidie reparatur, vt constat ex communi omnium praxi, ergo Apoplexia fortior & minus reparabilis. In qua difficultate non placet sententia & ratio Matthæi de gradi, dicentis, syncopem fortiorem morbum, sed facilioris curationis, quia syncopis fit retracto spiritu ad cor, qui rursus fortificatur: qui modus dicendi præter rationē omnem medicinæ est, nam in vera syncope est maxima resolutio omnium spirituum, vt vult Gale. lib. 12. Metho. citato, cuius erroris maxima causa est, quoniam non fecit distinctionem inter animi deliquum & syncopim vera ergo sua sententia est: sed ratio non tenet dicendū ergo Apoplexiam esse difficilioris curationis, quia membrum quod patitur debile est & tantum malum à se expellere non valet quoniã est molle & minus spirituosum, his adde nam ex Apoplexia sequitur difficilis respiratio. ex qua difficilius cor mouetur, & serius spiritus ab ipso cerebro communicantur.

QVÆSTIO II.

De Apoplexia.

VTRVM necessario in Apoplexia forti debeat amitti respiratio, quod autem non possit amitti respiratio patere ex Arist. quia impossibile est animal viuere sine respiratione lib. de respi. ca. 2. quia animal vt animal est impossibile est viuere sine respiratione. Idq; cõfirmat

Galen.lib.2.Aphor.42.vbi dicet mirari autem licet, quomodo omnibus alijs musculis motu carentibus in apoplexijs,& hi vero qui thoracem attollunt quanuis difficulter mouentur:ergo signum est,quod semper seruatur respiratio:cuius causam eam existimat Galen. superius enarrans diuersas differentias respirationis,quæ apparent in Apoplexia: ergo signum est,quod semper seruatur respiratio causam eam existimat Galenus esse propter necessitatem respirationis.Pro parte altera Auicen.1.3.tract.5.cap.12.& est Apoplexia fortis in qua homines apparent similes mortuis & reuiuiscunt ex ea:quod dicunt ferè omnes cõmentatores Rasis se vidisse. Sed vltra hoc in strangulatu veri manifestè constat, in totum auferri respirationem, vt colliges ex Galeno 6. de locis cap.7.ex mente Craclidis quod probat exemplo animalium,quæ in latibulis degunt,quæ propter frigiditatem in latibulis sine respiratione viuunt, idque non solum in mulieribus hysterici probat Gale. sed in viris. Quid ergo dicendum sit in hac quæstione,breuiter cum Galeno.6.de locis citato dicendum est,quod quãuis vita sine respiratione consistere non possit,tamen potest ablata respiratione thoracis sola per spiratione,quæ fit motu arteriarũ conseruari:id tamen raro nisi in strangulatis,qua in re maior subortur difficultas, cur in his hysterici magis quã in apoplecticis auferatur respiratio, cui quæstioni nullus scribentium satisfacit, eo videlicet, quia vident Apoplexiam vehementiorem esse morbum strangulatu, sed propositæ dubitationi satisfaciemus, supponentes omnia quæ Gale.supponit lib.6.de locis citato si dicamus frigiditatem per arterias ad cor communicari in strangulatis magis quam in apoplecticis & ideo non indigere respiratione,his adde quod strangulatus non fit subito,sed paulatim à qua alteratione paulatina cum cor paulatim alteretur fit vt sensim respirationis vsu non indigeat,

quia

quia strangulatæ instar animalium quæ latibulosa sunt frigiditatem accititiam acquirant.

QVÆSTIO III.
De Apoplexia.

VTRVM statim succedente Apoplexia sit aliquid operandum. Quam quæstionem latissimè disputat Matthæus de gradi cap. 1. de apoplexia in lib. 9. ad Almansorem, & ideo in ea immorandum nõ censemus: tantũ ergo in dicto conciliatoris insistendum in differentia 182. vbi docet quod si Apoplexia fuerit debilis, in ea immorandum non est, ne ex debili fiat fortis iuxta illud in 4. Aphor. 10. cum inquit, medicari in valde acutis &c. si tamen fuerit fortis cum præuisione mortis, aliquid operandum est. Sed authores grauissimi ostendunt nobis quid difficillimum veluti Aliabas. 5. practicæ cap. proprio qui docet ante 60. horas nihil operandum esse: quam sententiam exponit Matth. de grad. intelligendam de operatione cum victus ratione vel nihil dandum esse alias non solum in tam magno [illegible]atio, sed multo minori poterat mori. Sed quamuis acuta sit explicatio non quadrat, doctrinæ Aliabatis, quia inquit, nihil operandum cum attractiua & euacuatiua, medicina melius est, vt intelligamus locum Aliabatis iuxta Rasium cum inquit nihil operandum si spuma in ore appareat, quia signum certissimæ strangulationis in apoplecticis, & tunc nihil operandum iuxta illud Hippocratis lib. 2. Aphor. 43. strangulati vel dissoluti &c. in quo aphorismo videtur mihi, iuxta translationem Leoniceni, duas illas negationes magis affirmare, vt sit sensus quibus spuma circa os apparet referri mortuos. Hactenus de hac quæstione ad epilepsiam necesse est, vt sermonem conuertamus.

QVÆSTIO I.

De Epilepsia.

VTRVM Epilepsia possit prouenire à causa in materiali, aliqui dixerunt à causa in materiali non prouenire, in Epilepsia quæ fit per consensum vteri, vel vti in ea passione quã vteri strangulatũ appellamus, vteri Epilepsia est, vt vult artheus in hac non cõmunicatur humor, sed mala qualitas, quia per neruos aliquis humor trãsire nõ valet nec ascẽdere, ergo idẽ cõtingit in Epilepsia ab aurea frigida cõicata: illa cũ aurea frigida sit in forma flatus non põt trãsire, quia nec spiritus non possunt permeare nisi ad certã distantiã, ergo nec flatus vel ventus: de cuius cõmunicatione disputat Gal. lib. 3. de loc. c. 7. in puero, qui 14. annũ attigebat, à crure aureã frigidã per sentire: similiter ex affectionibus vẽtriculi id cõtingit, id etiã accidit ex ictu falongiorũ, vt testatur Gal. loco citato. Tandem Gal. eo loci, sentit manifestè solã qualitatẽ alterantẽ spirituosam alteratis partibus per cõtinuitatẽ cõmunicari, quia humor tantã vim non habet. ¶ Sed altera ex parte quod fiat à causa materiali, est Auicen. 1. 3. tract. 5. cap. 8. cum inquit, & quidam dicunt, quod est quædam Epilepsia quæ non sit à materia, & falluntur: quia si sola à mala complexione fieret nõ tam cito sic moueretur & rediret, quam sententiã desumpsit ex Auerroe 3. collige cap. vltimo. Cum dicit, quidam existimãt quod hæc passio fit à mala cõplexione in materiali, sed hoc est à ratione alienum, quã sententiam ex professo dixerunt aduersus Galen. quia existimaret ab aurea frigida prouenire communicata cerebro: non intelligentes modũ factionis Epilepsiæ: sed quod non quadret hoc cum veritate Gale. constat ex eo, quòd docet Galen. lib. 3. de locis cap. de Epilepsia, cum loquatur de Epilepsia, & de melancholia, ita inquit,

inquit, atque horum vtrũlibet magis accidit, quia vel abijt in corpus, vel cauitatem, si abijt in corpus: constituit Epilepsiam, si vero in mentem constituit melãcholiam, quasi dixisset. Si in mutetur temperamentum, & alteretur fit melancholia si vero cauitatem cerebri repleat, constituit Epilepsiam: itaque semper epilepsia morbus materialis est. In ista quęstione multa dicit Centilis sine necessitate, Matthæus de Gradi libr. 9. ad Almansorem cap. proprio, sentit epilepsiam, non posse fieri à causa in materiali cerebri communicata, sine cõmunicatione materiæ, quæ sententia falsa est nam in ictu falangij nulla materia communicatur. Sed meo iudicio respondendum est his conclusionibus. Prima cõclusio epilepsia morbus materialis est, vt constat ex lib. 3. de locis cap. 7. Secunda conclusio epilepsia excitatur à causa in materiali antecedenti. Sed fit à causa materiali quæ per concussionem & motum cerebri liquatur, & funditur, ad cauitatem cerebri.

QVAESTIO II.
De Epilepsia.

DVbitãt interpretes vtrũ pœonia faciat ꝓ curatiõe Epilepsię, à ꝓprietate vel à qualitate manifesta, Auicena loco citato cap. de cura. epilepsiæ. Sentit à ꝓprietate id fieri qua à colo suspensa remouet epilepsiã puerorũ: idẽ secũda. 1. c. de his quæ comedũtur & bibũtur, idq; cõfirmat autoritate Serapionis & Rasij, qui dicũt epilepsiã sanare pedibus appensa, veluti smaraldus: & alia medicamẽta quã plurima amuleta; sed veritas est, quod huiusmodi medicamẽta quãuis plurima à ꝓprietate specifica videãtur ꝓficere nihilominus pœonia à qualitate manifesta calida & sicca videtur perficere: alterãdo cerebrũ, idq; manifestè cõstat ex Gal. lib. 6. simpl. cap. de pœonia, vbi dicit vis nãq; ei est ex-

est exsicatoria, eaque potest discutere,& exsiccare Epilepsiam,quia alterat aerem attractũ per inspirationem: ergo si sanat alterato aere attracto per inspirationem, non curat à proprietate,sed à qualitate manifesta.Idque experientia constat,quia si colligatur facie posita contra aerem inflammat.Vndevulgares rosam montis appellauerũt,quia facili ex ea rosa faciei consurgit propter validam facultatem exsiccandi & calfaciendi quam habet: & ob id multi medici magnæ autoritatis decoctum huius plantæ, pro morbo sacro commendant, & melius multo mixta cum radice eringij, vt notat quidam neotericus in praxi doctissimus, ea enim curati fuere multi, post vigesimum quintum annum.

QVAESTIO. III.

De Epilepsia.

IN hac quæstione dubitatur,vtrũ Epilepsia debeat curari. Quam dubitant interpretes apud Rasiũ, & ratio dubitandi est quia Hippocr.lib.1. Apho.7.docet mutatione ætatis sæpe curari, ergo si per se curatur nõ debet curari:& ideo non videtur admittere curationem, sed clarè constat ex Gal.lib.1.simplicium,& lib.3. de locis citato,posse admittere curationem:nec in hoc immorandum:sed tanquã superfluum relinquendũ melius est disputare, vtrum Epilepsia post 25. annum suæ ætatis patientis possit curari, quia stulti medici est infamare præsidia, quæ alijs fuere saluti,ex lib.11. Metho. sed Hippoc. libr.5. Aphor.expresse negat admittit curationem post istam ætatem : ergo post 25. annũ nõ admittere curationem.Signũ enim est, quod non potuit à calore veieto iuuentutis dissolui,qui vsque ad illam ætatem vigorosior fuit: sed his non obstantibus ne

medici

medici videntur disputare simul cum ægris teneo aduersus sapientissimum Hippocr. posse aliquando admittere curationem, quam sententiam probo autoritate AEtij in secundo sermone capit. 19. Vbi docet pueros, & senes curari posse. Idque ex Cornelio Celso., & probatur, quia si aliquando Epilepsia potest curari est in consistentia, quia in prægressis ætatibus sola ætatis mutatione curatur: vt constat ex sententia Hippocr. libr. 5. Aphor. citato, & ita Paulus lib. 3. cap. 13. tandem experientia id confirmatũ est, vt constat, ex Ioanne Pasca Valentino qui mulierem quadragenariam curabit: q̃ si tamen dixit Hippo. lib. 5. Aphor. 7. post 25. annum ægros mori si non curentur, intelligit, & ideo omni adhibita diligentia tales curandi sunt. Extant enim vehementissima & elegantissima remedia, veluti decoctum ligni Indi, vel fontanela cruribus, vel brachio applicita, occipio, etiam applicata, quæ apud antiquos non extabant quibus facili negotio cum reliquis curari possunt Deo duce.

QVÆSTIO I.

De Melancholia.

DIsputandum vtrùm causa materialis sit necessaria ad causandam maniam. Partem negatiuam insinuat Auicena. 1. 3. tracta. 4. cap. 18. vbi dicit, melancholia, ergo quæ est mutatio cogitationum à cursu naturali, ad corruptionem & timorem, propter malam complexionem, quæ siluestrem spiritum reddit cerebri. Ergo si tantum in mutatur temperies cerebri, & spiritus tantum causa in materialis erit maniæ. Idem insinuabat Galen. lib. 3. de locis cap. 6. cum inquit loco illo difficillimo quod si abijt in spiritum facit ma

niam, si verum cauitatem constituit epilepsiam, ergo, vt constituatur melancholia, solum requiritur, vt alteretur spiritus. In contrarium tamen adest Galen. citato, & Auicena citato loco, reddens causam tristitiæ, inquit prouenire ab humore melancholico nigro, idem dixit Rasius primo cõtinentis cap. 3. cum dixit, dico quòd aliquando fit melancholia humoribus existentibus bonis, vt constat ex præmeditationibus diutinis, & profundis cogitationibus ex quibus facili negotio homines incidunt in alienationem mentis: omissis responsionibus multorum autorum, qui plura machinantur, sine necessitate, dicendum melancholiam semper suscitari ab humore melancholico non immediatè causante errorem cogitationum, sed causante malam intemperiem, quæ ad cerebri arcem ascendens, maximè alterat spiritum. Vnde & meritò Hippocr. lib. 7. Aphor. 23. dixit, Si timor & mœstitia, longo tempore perseuerauerint melancholiam ostendũt, quia ex assidua impressione talis humoris fit mania, indiget enim assidua & valida impressiõe talis humoris, vt possit præuaricari spiritum, propter eius inualidam actionem, & hæc est causa (quę hucusque à nullo neotericorum tacta est) cur iste melancholicus furor frequenter per motus lunę magis homines alteret, ideo est, quia vt alteret indiget vehementi agitatione: talis autem datur in coniunctionibus & plenilunio quæ maxima dispositio necessario inducit effectum, itaq; immediatè mania nõ cõsistit in causa materiali, sed mediatè, quia ipsa alterat spiritum. Ex qua dubitatione infertur interpretatio ad quæstionem, quã disputat Gentilis loco citato, supra Auicenã, vtrũ terror & tristitia in melancholicis prouenient à nigredine humoris, & tenet Gentilis istã causam iuxta sententiam Auicenæ, tum quia animi mores corporis temperaturam ostendunt, & sequuntur, & experientia constat, quia homines in loco obscuro diu

detenti

detenti sunt tristes & melancholici euadũt. Sed istam causam negat Auerrous lib. 3. colliget cap. 40. tum quia color non est morbus; & non potest esse causa læsionis in operationibus. Præterea anima non terretur à coloribus nisi per priuationem sensati. Sed vt Auerroi satisfaciamus non indigemus tantis distinctionibus, quas affert Matthæus de Gradi: sed dicendum, quòd anima in quantum anima ab his qualitatibus non alteratur per se, sed per viam instrumenti spiritus, qui fit crassus terrestris & cum fit instrumentum animæ vitiat animæ operationes, & licet non possit melancholia alterare in quantum nigra, alterat in quantum frigida & verè permutat naturam spiritus. Et hinc dimanat causa cur in vertigine etiam si videantur nobis omnia nigrum, non sic iudicat extimatiua, quia spiritus non contrahunt aliquam alterationem, licet inordinatè moueantur.

QVAESTIO II.

De Melancholia.

VTRVM in melancholia liceat sanguinem mittere, quæ quæstio merè practica est, & quod non debeat fieri, patet quia sunt vigiles, vigilia autem solet in totum scopum sanguinis missionis auferre, lib. 1. de arte curatiua ad glauconem cap. 13. & huius ratio est, quia debilis virtus est: præterea isti sunt inquieti, & ideo minus apti, vt in his sanguis extrahatur. Sed his non obstantibus omnes tenent debere fieri sanguinis missionem in melancholia. Rasius libr. nono. ad Almansorem capit. proprio, & libro primo. Continentis, quòd phlebotomia seu sanguinis missio in melancholia fiat nisi, vt

contrariam: nec repugnat Auicennæ. 1. 3. tract. 4. cap. 26. Vbi docet in omni melancholia faciendam esse, nisi sit casus virtutis. Auicena intelligendus in omni melancholia per essentiam, secus est si per consensum à liene, quia arguit vehementem inteperiem frigidã, quæ multo calore opus habet, vt possit absumi. Et nisi in toto fuerit abundantia sanguinis melancholicę non licet sanguinem mittere. Sed ex quo vena debeat fieri dubium est, nam varij, varia sentiunt, quidam ex talo, quidam vero ex basilica, vel ex media: sed distinguendo diuersas causas affectionis, facili momento possumus satisfacere, his conclusionibus. Prima conclusio est, si melancholia proueniat ex suppressione hæmorroidarum, vel mensium reteutione, sanguis ex talo mittendus est. Secunda conclusio, si vero ex redundantia totius, ex cephalica, vel media, crediderim, non faciendam esse ex basilica, nisi alia non appareat, quia non fit ex directo loci patientis, etiam si in toto sit redundantia: post quas vacuationes per cucurbitulas, vel sanguinis extractionem ex venis priuatis tentare non nocebit, & potissimum cucurbitularum administratione, pro hæmorroidum prouocatione, quæ vnica salus melancholijs solet esse. Nostra tamen disputatio nõ est intelligenda de ea mania siue de lyrio quę ex inflammatione ventriculi, aut lienis suboritur, vt docuit Galen. 3. de locis, cap. 7. quòd explicuit Auicena. 1. 3. tracta. 5. capit. 1. cum inquit, & quandoque est ibi aposthema faciens vaporem melancholicum, & facit euenire melancholiam, quia quando prouenit ex tali causa, certum est, sanguinis missionem competere.

*

QVAE-

QVAESTIO I.

De Paralysi.

QVAESTIO & difficultas à nobis solũ præmeditata. Vtrùm Paralysis solum differat humoris qualitate, vel loco in quo est ea, omnes interpretes existimant conuulsionem à paralysi differre solum humoris qualitate, quia paralysis ex humore tenui qui neruos laxat, conuulsionem vero fieri ex crasso, qui neruum tendit & bibrat teretemq; reddit. Sed quotidie à nostrata iuuentute ista sententia non quadrabit, nec placere potuit: nam si ambæ passiones neruorum sunt vt postea videbimus, & non æqualiter sensus & motus læduntur in eis, ergo necesse est vt istæ passiones sint in diuersis partibus neruorum. Et ostenditur hac potissimum ratione, paralysis est priuatio motus, & sensus, & aliquando vnius & aliquando alterius, ita Galen. lib. 3. de locis cap. 10. & lib. 2. de simpt. causis, lib. 1. de causis simpt. cap. 5. & ideo in hoc distat, ab stupore, quia in illo non integra obstructio est, nec in totum facultas priuatur, sed conuulsio tantum deprauatus motus est. Ergo in eadem parte non potest consistere humor, sed in diuersis: & ita Auicena. 2. 3. cap. 8. dixit: & ideo necesse est, vt intetano cadat humor, in loco nerui secundum formam prohibitionis dilatationis motus: ergo videtur quod sit in loco, id est parte nerui quæ tendit, & non prohibeat: & paulo inferius dixit intetano alculet cadit humor circa partes neruosas, quasi dixisset cadit non in cauitates, sed circum circa. Præterea tertio argumento sic nostra concluditur opinio, paralysis vt ex superioribus constat est mera obstructio neruorum, sed magis obstruunt humores crassi, quam tenues, ergo non solum in qualitate humoris, sed in

loco vbi resident differunt, conuulsio & paralysis: & ideo fit vt in luxationibus vertebrarum magis caueatur paralysis, quam conuulsio, quia integrè obstruit ex qua doctrina dimanat causa cur in puncturis neruorum & in morsibus viperarum magis contingat conuulsio, & in cisionibus neruorum multo magis paralysis. Qua de causa etsi à nullo neotericorũ hoc fuerit discussum: audeo dicere conuulsionem fieri ab humoribus existentibus circa neruos, vel tunicas neruorum: paralysim vero ex eisdem caluitatem, vel propriam substantiam occupantibus, & iuxta nostram sententiam intelligitur Auicen. cap. quo dicit, & necesse est, vt cadat humor in loco nerui, id est circa neruos, vel in tunicas eius.

QVÆSTIO II.

De Paralysi.

VTRVM in Paralysi liceat sanguinem mittere, in qua quæstione nullum inuenio qui in disputationem controuertat, existimantes solum in paralysi quæ fit, casu, & ostensa, faciendam esse phlebotomiam, quia ex casu oportet à toto diuertere, & à loco doloris, iuxta sententiam Auicenæ, & ita vult significare Galen. lib. 4. de locis cap. 4. de affectibus spinæ. Sed an debeat fieri in reliquis casibus, hoc opus, hic labor est, qua in quæstione solum auscultandus Aetius est, treta 2. sermone 2. ca. 28. qui docet, præsentaneum remedium esse si reliqua consentiant, ætas, & virium robur si tamen omnia non cõsentiant sanguis detrahendus non est: quasi dixisset propter timorem frigiditatis, vt sanguis mittatur omnia debent cõsentire: quam sententiam vt debite assequamur illud Auicenæ præsupponendum est. 2. 3. loco allato videlicet si assistat febris,

quia

quia ratione febris fit maior colliquatio humoris, ad partes neruosas quæ vt prohibeantur, vnicum auxilium flagitant sanguinis missionem. Et ideo Auicena loco allato periculosissimam censebat, paralysim quam febris concomitabatur, vt ferè non admittere possit curationem, & an talis, ergo phlebotomia debet fieri minima quantitate vt consulit AEtius loco citato.

QVÆSTIO III.

De Paralysi.

VTRVM in Paralysi magis ex vsu, sit vti diureticis quam sudorem prouocantibus, vel vice versa, pro meliori intelligentia huius quæstionis supponendum est ex sententia Auicenæ, & his medicamentis non est vtendum nisi toto corpore integrè mundato, & euacuato, quo supposito Conciliator in differentia 233. docet his omnibus possumus vti, nam quanuis diuretica conuertant materias ad neruos, semper habent respectum ad partes quas euacuant, sed addit conuenientius multo naturam has materias vacuare per sudorem, nam talia medicamenta subtiliando, consequuntur effectum vacuationis, vnde est, vt in ægritudinibus iuncturarum plurimi Arabes laudauerint vina alba aquosa, vt fuit Serapio. Idem fecit Benedictus à mulsa, & in experientia comprobatum est, quòd plurimis senescentibus. Cum paralysis inciperet, statim ex vino guaioco parato de cocto, cũ sirupo sticade facilime voluntate Dei persanati sunt. & ita Leonardus Iaquinus ex mente medicorũ suæ regionis, laudat balneũ aluminosum, à cuius assumptione necesse est sudorem prouocari valet nostra quotidiana obseruatio balneorũ Tormis iuxtà villam Ledesmæ quæ tot ac tantos paralyticos libe-

liberauit, dummodo morbo Gallico non fuerint tentati, vt latius infra disputabitur.

QVÆSTIO I.

De Tremore.

EST enim hæc passio deprauatus motus animalis ex imbecilla facultate cum materia morbifica, ita vt ex vtriusq; pugna talis motus inordinatus contingat, qui dicitur tremor lib. 2. de simpt. causis. c. 2. Et ideo Auicena dicebat est defectus facultatis motiuæ, cum membri grauitate, in quo affectu via problematis inquirendum, cur magis in manibus senum quam in pedibus contingat, siquidem huiusmodi difficultas maior debebat esse in partibus distantibus magis à corde, pedes magis distant à corde & grauiores sunt. Cui obiectioni respondet Gerardus non ita in pedibus continere, quia virtus motiua pedum est vehementior, quæ responsio nec tenet in medica facultate, nec in philosophia, nam quanuis pedes facti sint ad incessum, brachia facta sunt ad pugnandũ, in quo actu maior vis requiritur, & quòd magis est brachia inseruiunt ad onera subleuanda. Placet magis illa responsio dicentium, hoc fieri propter dispositiones neruorum, quia si nerui brachiorum magis lædantur, magis accidit manibus, si vero nerui crurium, magis in pedibus. Sed si quæras cur magis manibus quam pedibus hoc contingat, ideo est quia natura vt plurimũ magis trudit materias partibus propinquis, potissimum in facultate animali quæ debilis est.

QVAE-

QVAESTIO Vnica.

De Tortura oris.

TALIS passio conuulsio cinica, vel canina dicitur ab authoribus, quæ vel sit paralysis, vel conuulsio, ex modo doloris notitia consurgit: sed cum in omni conuulsione, vel paralysi pro topicorum medicamentorum in positione, ad radices neruorum attendere liceat, vt vult. Galen. libr. 6. Methodi cap. 4. & 1. de locis. 6. & lib. 2. per genera. Dubitatur an medicamẽta topica quæ radices neruorum debẽt prospicere, magis nucã id est partem posteriorem vel partem capitis anteriorem. Omnes authores, & cum eis Rasius in præsenti existimant, ad radicem occipicij imponenda, quod non vitio verto, quia vbicunque cerebrum exsiccetur, his passionibus opitulatur, sed melius est, vt partem magis affectam prospiciamus, scilicet, partẽ anteriorem: quæ neruos promittit bucis ex partibus cerebri anterioribus, ex tertia & quarta neruorum coniugatione, quæ sententia vltra anathomem, demonstrat tum locus læsus, quantum distet ab occipitio, tum ostendit commoditas partis, cui sunt applicanda, nam ossa syncipitis rasa & spongiosa sunt per quæ facilior transitus est ad cerebrum, vt habet lib. 11. Method. cap. 18. & lib. 13. Method. cap. 22. & nam præter hæc omnia tenuissimum est hoc loco craneum. Et ideo præ cæteris remedijs Rasius & Auicena laudarunt, euacuationem per nasum. Sed non sine causa ab omnibus authoribus dubitatur. Vtrùm hecticus possit capi spasmo, quia spasmus ex siccitate fit per consumptionem humiditatis. Respondetur quod non, quia huiusmodi siccitas non subitò cõtrahitur, placet ista causa, sed non in totum arridet, nã in plurimis qui conueluntur ex siccitate,

tate, veluti ab igne sacro, vel herpete paulatim siccitas partibus neruosis inducitur: & etiam in illis quibus humiditates iuncturarum resudant, vt cõtingit in vulneribus maximis quibus accidunt tetanos & cõuulsio. Magis tamen videtur nostra ratio, quòd hectici non conuelluntur, quia loco deperditi plurimi humiditates accitiæ restaurantur, vnde necesse est, vt musculi & membra animalia madore afficiantur, vel dicetur cum Galen. libr. de inæquali intemper. cap. 2. cum sic dicitur, in vltimis verbis capitis nõ enim ex eorum particulis hæc agit, hæc patitur cum omnes inter se iam similes redditæ sint, ac vnicam habeant consentientem temperiem &c. Ergo nequit esse conuulsio in febre hectica, quia cũ omnes partes. v. g. nerui sint similes omnes obediunt tensioni.

QVAESTIO II.

De Spasmo.

SOLET aliquando spasmus contingere ex punctura nerui, quam cõuulsionem appellant proportionatam ad materiam. Dubitatur quibus & qualibus medicamentis curari debeat, Auicena 6. 4. tract. 1. de punctura nerui docet laxantibus vtendum esse, vt dolor leniatur, sedetúrque: sed clarè repugnat Galen. lib. 6. Metho. cap. 2. vbi docet vtendum esse sulphure euphorbio, & alijs medicamentis habentibus tenuissimam substantiam, vt facilius pus educatur, præmissis vacuationibus necessarijs. Sed breuiter possumus satisfacere, dicendo in punctura nerui cæca, vtendum esse medicamentis calidis, in manifesta vero cui neruus non occultatur, sed discoopertus est: prædicto medicamento Auicenæ vtendum.

QVAE-

QVÆSTIO Vnica.

De Catharro.

VT planius noſtra quæſtio procedat, hic fit mentio de Catharro, qui propriè ſignificat diſtillationem ad pectus, vel ad fauces vel ad naſum, membro mandante cerebro: apud Græcos Catharrus ſignificat quamuis diſtillationem ad quamcunque partem. Talis autem catharrus aliquando ſeparatus eſt, aliquando epidemicus & contagioſus ſimul qualis proximus ille anni 1580. qui ferè non ſolum per vniuerſam Europam migrauit, ſed à finibus Aſiæ ad nos peruenit: de quo in præſenti ſermo eſt: & de eo vno loco mentionem fecit Galen. lib. 5. Metho. cap. 12. & 13. in hoc quęritur & merito. Vtrùm ſanguis ſit extrahendus? quam quæſtionem mouet Matthæus de Gradi, cap. proprio lib. 9. ad Almanſorem, quòd autem ſanguis ſit extrahendus, docet Meſſues in ſua praxi, capite proprio, vbi docet aliquando tantum neceſsitatem vrgere, vt ſanguis extrahatur, vt tot vicibus extrahendus ſit ſicuti in pleuritide. Sed altera ex parte experientia contrarium ſuadet, nam Catharro contagioſo cui ſanguinem detrahis ſtatim abijt, & moritur vt prædicto anno & prægreſsis manifeſtũ fuit: & ratio eſt quia iſta diſtillatio eſt, vacuatio paulatim morbi venenoſi à natura tentata. Maximè cerebrum occupante quod frigidum eſt. Ergo non eſt præpedienda nec irritanda, ex lib. 1. Aphor. 20. ergo in tali morbo alia vacuatione non eſt opus. Sed altera ex parte videtur quod ſanguis ſit extrahendus, quia in quocunque morbo oportet curare, & præſeruare. Sed ex iſto Catharro ſæpe inducitur vlcus pulmonis: ergo iſtud præpedire oportet, minor patet ex Galen. loco allato, in duobus caſibus ſeneſcentis mulie

ris, & iuuenis, cui quæstioni his cõclusionibus est satisfaciẽdũ. Prima cõclusio in Catharro contagioso & in principio potissimũ tẽpore autumni sanguis non est extrahendus, quia eo tẽpore morbus exitialis est, ex lib. 3. Aphor. 9. Secunda conclusio in Catharro non contagioso veris tempore, vel hyemis. Si cum febre accidat, sanguis extrahendus, cuius causa est, quia morbus intra venas est & tẽpus salutiferũ. Tertia conclusio in quocunq; catharro si ex eo immineat casus humoris ad pectus sanguis, extrahendus est modice: cuius ratio est ea quia perynegmoniam, vel ptisim, concitabit, & ita intelligendi sunt. Messues, & Auicena, quando dicunt. Raro competit phlebotomia in Catharro, nisi in casibus Messues, existente materia sanguinea, & purè calida, & ob id ab authoribus nostri temporis laudantur alexiteria, veluti suffumigium labendullæ cum quo in isto morbo sudor prouocatur & proalexiterio experientia comprobatur.

QVAESTIO I.

De Optalmia.

VTRVM vinum in Optalmia competat. Certum est ex omnium authorum sententia in optalmia non competere, quia capitosum est, & perturbationẽ agitationemq; humorum parit: & in hoc conuenit Auicena Fen. 3. 3. tract. 1. cap. 9. & inquit alienatio omnis vaporosi &c. talis est in vino. Et clarè omnes tenent, non conuenire in optalmia recenti. Vtrùm in declinatione conueniat videtur aliquo modo insinuare Hippoc. lib. 6. Apho. 31. vbi docet dolores oculorum meri potione sanari. Sed reuera Galen. non sentit cum Hippocr. quia solum affirmat

mat Hippocra. hoc experiētia cognouisse aut proficere, idq; nullus scribentiū assignat. Ego auderē dicere nō sine causa hoc dixisse Hippoc. quia ex multa potione vini per modum ebrietatis stupor in omnibus partibus inducitur, sic vino vtitur Auicen. 4. 3. tract. 1. cap. 8. in doloribus aurium, quia somno à vino cōciliato hebetatur sensus doloris, & hæc nec est recta curatio, per se, nec per accidens, quia quocunque modo inflammatio augebitur, & quōd magis est, ex stupore cerebri in sigilationem perueniet. Et ita Cardanus maxima indiget correctione, in prædicti aphorismi interpretatione, quando reprehendit Galen. hoc tamen non sine causa dixisse Hippocr. videlicet, quādo humor concretus est in cerebro: quæ interpretatio bona est, nam vinum nec via medicamenti, nec via alimenti dari potest. Via alimenti constat clarè, nec medicamenti, nam ferit, repletque, & quod magis est omne genus neruosum lædit: vnde & caput dolentibus nocet: & ita Auicena loco allato dicebat, & sit alienatio rei acuti saporis, & odoris, ex quo ego infero alterum corolarium aduersus omnes scribentes, nec in declinatione nec ad humores impactos oculorum vinum prodesse, nam etiam si habeat vim discutiendi: humorum vehiculum est, ad partes neruosas, proinde nisi in plus iusto assuetis vinum interdicendum iudico, siue in inflammatione existente in principio, siue in declinatione. Et illud probat, quod ex sententia peritissimorum authorum, nec somnus diutinus in declinatione morborum oculorum prodest. Vt dicebat Auicena loco allato, cum dicebat, & somnus nocet, vbi indigemus superfluitatem expulsione. Et ita intelligitur Tralianus libro secundo, capit. tertio. & Paulus libro tertio, capite 22. vbi vinum exibent intelligendi sunt in assuetis. Et ita Auicena loco citato solum laudauit vinum tenue, quod suffitu, inculcato humores sanet, si ve-

ro assumptum possit diuaporat & ferit exterius applicitum anodinum est.

QVAESTIO II.

De Optalmia.

VTRVM in omni Optalmia competat venæ sectio, nam quod competat probat Auicena loco allato, vt dicat competere in omnibus speciebus eius. Sed altera ex parte videtur oppositum si fuerit bilioſa præstat potius vti medicamento purganti lib. 14. Methodi capite 3. & libr. 2. de arte curatiua ad Glauconem capit. 2. Vbi expresse in erysipellate exteriori tenet, potius vtendum esse medicamento purganti, quia est humor peccans sua mala qualitate. Præterea si sit pituitosa vel serosa euacuatio sanguinis cuius non est opus frustranea erit. His tamen non obstantibus, vera est sententia Auicenæ cum Galen. in omni optalmia competere sanguinis missionem: quam sententiam probat Galen. lib. 13. Methodi capite vltimo. Sed quomodo sit satisfaciendum Galen. libr. 14. Metho. ca. 3. dicenti in oculo esse diuersam rationem, nam oculus eximij sensus est, & ob id gratia diuersionis semper sanguinis missione vti licet, sicuti in partibus interioribus propter eximium sensum. Si accidat erysipellas vel herpes, quanuis dependeant ab humore bilioso, tum sanguinis missione, tum purgatione vtendum est: ex libro. 4. de victu acutorum 21. idque magis militat in oculis: semper humores quantumuis frigidi cum calidis miscentur: & quantumuis bilioſi cum sanguineis miscentur, idque egregie annotarat Gentilis, supra Auicenam loco allato.

QVAE-

QVAESTIO III.

De Purgatione.

VTRVM tamen sit vtendum sine discrimine quouis medicamento purganti in optalmia, breuiter huic problemati possumus satisfacere in ista inflammatione optalmiæ periculosa esse medicamenta purgantia, quia sunt capitosa cum cito feriant caput, sed debemus vti clementi medicamento purganti situm à frigido humore dependeat optalmia: etiam si caput obtundat vti possumus quolibet, quia causam minuant simul intemperiem corrigunt diuaporando, consumendo. Et tandem vno actu multa præstant, & ita increbuit vsus medicorum vt exhibito medicamento forti, postea clementi forti in pauca quantitate vtantur.

QVAESTIO IIII.

De Medicamentorum narcuticorum impositione.

HIC ergo vltima querimonia à nobis solum vertitur. Vtrùm in morbis oculorum saltem calidis cõpetant medicamenta soporifera: quoties vehementissimis doloribus cum inflammatione tenentur: quorũ vsum prohibet Galen. lib. 6. Aphor. Commento 31. quia & horum medicamentorum vsu affectus in curabilis relinquitur. Vnde Auicena Fen. 33. tract. 1. cap. 9. dicebat, & non infrigidandum cum his quæ sunt stiptica, & aspera, & soporifera, quia augent inflammationem. Sed altera ex parte Galen. lib. 12. Meto. c. 1. docet, in Colicis & morbis oculorum se aliquando vsum fuisse sopientibus medicamentis:

tis: quam sententiam ex eo confirmant, quia Galen. lib. 12. Methodi cap. vltimo, sensu acutissimo præditi oculi sunt, ergo multo maiori dolore afficiũtur, & per consequens melius in his, soporiferis medicamentis possumus vti. Et ita Auicena loco allegato post medium capitis dicebat: & quandoq; pro vehementia doloris necessarius est vsus stupefacientium: sed remoue illa quantum potes. Sed quo pacto sit satisfaciendum Galeno, libr. 6. Aphor. citato ex multis interpretationibus quas habeo in lib. 12. Metho. illam solum eligo, quæ tenet Galenum loquutũ fuisse de humoribus inpactis qui crassi sunt, secus autem se habet in humoribus calidis feruentibus, & corrosiuis, in quibus vt vis eorum infrænetur, necessarius est vsus medicamentorum sopientium. Ita Galenus tenet in doloribus intestinorum à causa calida lib. 12. Metho. cap. 7. & ita in eodem casu Auicena loco allato. §. quod si materia subtilis est, & corrosiua nõ est alienũ vti opio. Vnde Rasius sæpenumero etiã in morbis oculorũ suo colyrio albo vtitur cũ opio quod passim in officinis confingitur pro doloribus vesicæ, & oculorum. Talia enim medicamenta blanda, & amœna sunt, & minimè aspera quæ laudantur. Vnde est, vt oleum quantumuis frigidum non est ex vsu idq; à nullo scribentium dictum est. Existimarem ego non conuenire, quia quodcũque oleum particeps astrictionis est, & statim, dolores oculorum mouet.

QVÆSTIO I.

De Morbis aurium.

EX his quæ dicta sunt facilis est responsio ad quæstionem de dolore aurium. Vtrùm conueniant repercussiua, vel narcotica, quòd autem narcotica non conueniant ex eo colligitur,

tur quia neque competunt repercusiua ex libr. 3. per locos capite 2. vbi docet curam perficiendam esse per attrahentia & mollificantia & minimè repercusiua & astringentia conuenire, & ex eo, quia has partes dicauit veluti emũctoria ad expurgãdum tam circa adenes quã in meatu, vnde si in parotidibus astringentibus, vel narcoticis vteremur in grauissima pericula ægrotantes traherentur. Sed altera ex parte Rasius lib. 4. ad Almansorem capite de dolore aurium docet si dolor: vehemens fuerit necessario aliquo opiato vtendum erit veluti, opio cum oleo rosato cuius causam assignat Auicen. Fen. 4. 3. tracta. 1. cap. 8. §. & quandoque necessaria sunt narcotica, si dolor vehemens fuerit, vt ex dolore timeatur phrenitis vel cerebri inflammatio, & ita Galen. lib. 3. per genera. cap. 1. pro dolore aurium à causa calida ex mente peritissimorum antiquorũ plura narcotica instituit, quid ergo dicendum est? in ista controuersia breuiter possumus dicere, quod dolor aut est in profundo aurium vel in partibus exterioribus, si dolor est in profundo aurium, cum calore, & inflammatione, repercusiuis, & opiatis possumus vti: quia valde periculosi sunt & grauiora mala solent causare. Si tamen dolor ad exteriora vergat, vt iam iam committere inflammationem videatur, quam parotidam antiqui appellant, minimè repercusiuis, sed potius mollientibus, & parum attrahentibus vtendum ne motus naturæ impediatur. Ita tenet Gerardus in præsenti.

QVÆSTIO I.

De Angina.

VTRVM in omni Angina competat phlebotomia? difficilis quæstio est? pro parte negatiua adest Mesues in sua Praxi capit. proprio de squinantia, vbi docet in phlegmatica

& bilioſa, neceſſe eſſe prius euacuare humorem redundantem, quia augebitur magis Angina per ebulitionem bilis, & caſum pituitæ, & ſic paſsim contingit. Et id comprobatur ex Auicena illo communi dicto ſuperabundantem euacua & poſtea minue. Et illud inſinuabat Auicena Fen. 9. 3. tract. 1. cap. 11. §. quandoque neceſſe eſt, vt cadat euacuatio materiæ egritudinis, vt remaneat virtus & ex eo cõſtat, quia ſi fit à pituita, à capite cadente cõſtat per ſanguinis miſsionem magis augeri caſum. Sed his non obſtantibus iſta concluſione poſſumus ſatisfacere in omni Angina ſi cætera non diſſuadeãt ſanguis mittendus eſt, magis in ſanguinea, minus in pituitoſa: in qua poſt venæ ſectionem propria euacuatio per pharmatiam indiget. Quam concluſionem primo probo ratione communiſsima, quia eſt morbus magnus & per conſequens indiget magno remedio & ſemper fit ab inflammatione quæ ſiue ſanguinea ſit ſiue pituitoſa, ſemper habet ſanguinis permixtionem, vt notat Gentilis ſuper Auicenam loco allegato deducitúrque ex Galeno libr. 4. de victu acutorum 30. §. corpus igitur, vbi in Anginis pituitoſis, vel bilioſis, poſt euacuationem per ſanguinis miſsionem, docet vtendum eſſe medicamento purganti, vt fluxio ad locum læſum compeſcatur. Id etiam colligitur ex Galen. libr. 4. de victu acutorum 21. in inflammationibus in ternis à quocunque humore dependeant prius à ſanguinis miſsione exorditur. Et ita intelligitur Auicena loco allato, vt conſtat ex. §. ſuperiori & quando virtus tolerat expulſionem ſanguinis ad maturitatem: & ita ſalua pace Meſues, non eſt tenenda ſua ſententia: niſi forſan intelligatur fieri per in bibitionem humoris pituitoſi, vt quotidie ſenibus contingit. Vnde Raſius lib. 2. Cõtinentis irridebat quendã Hebræũ qui in Angina pituitoſa ſanguinis miſsionẽ prohibebat, & ideo minimè abſcultãda ſolutio Matth. de Gradi.

QVAE-

QVAESTIO II.

De vsu gargarismatũ repercutientium.

CVM partibus exterioribus medicamenta repercussiua non conueniant, quia truditur materia interius infringitur & imbibitur magis. Quæritur vtrum per partes palati per os conueniant ista medicamenta repercussiua? Auicena ergo loco citato, & Gal. lib. 6. per locos à cap. 2. plura instituit medicamenta repercussiua quæ nõ solum, vt frigida conueniunt, sed vt istis partibus appropriata vt diamoron, sucus malorum granatorum accidorum. Et ita ferè omnes eo medicamento vtuntur, & inde dimanauit quòd admissis astringentibus per interiora facilimè truduntur fluxus ad exteriora. Sed altera ex parte obstat, quia in parasynanchi interiori, si his vtamur magis in partibus interioribus in pinguntur, quam aliquid foris extrahant. Et probatur. Firmissimo argumento, quia in morbis pectoris non est vtendum repelentibus, ergo in partibus guturis quæ eidem vsui inscribũtur non est vtendum eisdem, antecedens probat Galen. lib. 11. Metho. cap. 16. & 17. constatque experientia, quia si astringentibus vtamur statim suffocationes mouentur, ergo minante eadem suffocatione, non est vtendum, astringentibus. Et ita probat Conciliator in differentia 176. Vnde peritissimus Guido in periculosis Anginis solũ vtitur lacte, vel mixtione lactis cum cassia: quid ergo in ista quæstione dicendum? his conclusionibus possumus respondere. Prima conclusio in omnibus speciebus Anginæ repercussiua moderata conueniunt, veluti Rob mororum, & nucum nam quanuis reprimant præpediunt ex partibus exterioribus ne sanguis accurrat, quia vena iugularis externa quam venam Barbari organicam appellant maxima

est quoniam omnes has partes gubernat. Secunda conclusio est in Anginis interioribus, & in locis penitissimis existentibus in musculis proprijs laringis potissimũ claudentibus, tutissimum medicamentum mulcebre est, sedans dolorem, veluti lac per se solum vel cum casia demulcet dolores & tumoris disipationem efficit: & ita nostra conclusio probatur ex eo, quia Galen. lib. 6. per locos voluit aliquid oximellis esse admiscendum: vt scindantur humores si sint crassi, & si tenues attemperentur. Sed quoniam diuersæ sunt differentiæ Anginæ, tum ratione loci tum etiam ratione humoris: præstat ergo diuersa medicamentorũ genera aptare ex Matthæo de Gradi ex proprio libro. 9. ad Almansorem.

QVAESTIO I.

De Asmate.

DE reliquis egritudinibus, vsque ad istum locum dubitationes paucæ sunt, & faciles, quas classici communiter euentillãt, ad astmatis curationem accedendo, quasdam dubitationes pro difficili eius curatione volumus promouere. Vtrùm frequentius accidat viris quam fœminis ipsis? & quòd frequentius fœminis, ex eo constat, quia humidiores sunt, minoreque exercitio vtuntur, præterea cerebrum humidius est cuius distillatione necesse est pectori pulmoni communicari. Sed experientia contrarium ostendit, quia homines frequentius hoc malo corripiuntur: eoque intereunt, cuius causam Gentilis relinquit celeriori respirationi & quietudini humorum, quia viri habent celeriorem respirationem & humores minus subtiles. Sed istæ causæ nobis displicent, nam quibus celerior respiratio est:

tio est: facilius à malo pectoris liberantur & eo resistunt sicut si compares iuuenem cum sene facilius resistit iuuenis quam senex, quia iuuenis respirationem habet celeriorem. Dicendum ergo est accidere hominibus magis, quia voratiores sunt, crapulis, & vino magis indulgent, cuius legitima causa est, nam pueri habent fortiorem calorem & melius cōcoquunt, sed frequentius cruditatibus affi ciuntur, non nisi quia voratiores sunt ex Galen. lib. 1. crysium capit. 12. ex cuius quæstionis decisione constat facilius multo in viris curari ex lib. 2. Aphor. 34. nam magis accidunt & per cōsequens facilius in eis vincitur malum ex lib. 2. aphor. 49. his adde quia homines pectus latius habent in eoque magis suscipiunt & mulieres mensali euacuatione à plurimis liberantur malis.

QVÆSTIO II.

De applicatione cucurbitularum.

IN morbis pectoris & potissimum astmatis quando validissimè affligit per suas certas accessiones solent medici priuata remedia quærere, vt tanto accidenti subuenire possint, inter quæ illud potissimum habetur applicatio cucurbitularum. Vtrum istæ sint applicandæ & qua in parte sint affigendæ non clarè constat circa hoc absolutè tenet Matthæus de Gradi, non esse affigendas cucurbitulas, & neque fricationes faciendas cuius causam non exhibet: sed quæ nam huius causa sit certè intelligerem, vnam esse potissimam, quia cum pectus sit pars concaua, & ad eam partem trahat cucurbitula potius suffocationem tentabit, quam leuamen posset afferre. Secunda est & potissima quia per appositionem cucurbitularum musculi pectoris conuelluntur & per consequens ad motum impe-

diuntur, ergo immotis in ipsa accessione facilius astmatici suffocabuntur, & sic tenet infricationibus in ipso pectore nullis cucurbitulis vtendũ. Sed his non obstantibus possumus defendere in casu accessionis astmatis nos posse vti cucurbitulis siccis licet non in ipso thorace, sed in partibus proximioribus Thoracis veluti in humeris in lumbis femoribus, quæ solent esse alicuius vtilitatis, quia diuertunt à loco læso quam conclusionem, ita volumus intelligere dummodo toto corpore euacuato amoueantur, iuxta Galeni sententiam in fragmento de cucurbitulis: præterea dummodo quando in lumbis applicãtur hypochondrijs nõ inhæreant. Ex quibus colligo cõtra Iachinum & alios medicos peritissimos in ipso accessionis tempore quando humor est in capacitate thoracis nullo modo vtendũ esse fricationibus pectoris, quia quantumuis digerant magis mouent ad eandem cauitatem præstat, ergo vti ligaturis brachiorum elunerem clismate acri, & post hæc aqua tepida vti non nocebit.

QVAESTIO III.

De vsu Terbentione.

LAudant plurimi Terbentinam abietinã, quia ex Galen. sententia apertè detergit & vim subducendi habet idque ex sapore eius amaro constare. Sed salua pace istorum medicorum, neque huic malo prodest, neque ab aliquo antiquorum commendatũ, sed missa, ista faciamus, ratione manifesta nõ cõducit, nam illa medicamenta quæ prosunt debent esse pectoralia amœna suauia minimèque aspera & astringentia, sed talis conditionis Terbentina non est, ergo ea non est vtendum. Quòd si dicas habere vim abstergendi hæc eadem facultas inest: mirabo-

rabobanis & thamarindis quantumuis facultatem detersoriam habeant, quia sua facultate manifesta astringunt, & ideo Iachinus cum suis socijs lapsus est.

QVÆSTIO I.

De Pleuritide.

VT ergo ad primam quæstionem deueniamus de sanguine mittendo in Pleuritide ad sunt à neothericis egregia monumenta de sanguinis missione ex eodem latere, vt superstitiosum intelligã eam quæstionem euentilare potissimum cum Manardus egregius vir, qui ferè primus absurdam opinionem deuicerit quæ tot hominum millia iugulauit, de qua late libr. 12. epist. 5. in ea epistola multis rationibus confirmat faciendum esse, ex eodem latere licet in eo videatur ab errare, ꝙ dicat, ꝙ si fiat ex eodem latere tantum sit euacuatiua quãtum reuulsiua, quia multo magis reuulsiua est, & per cõsequens consulerem ne tempus conterant dilecti studiosi in lectione Turini, qui tot composuit machinamenta, vt suam opinionem confirmaret.

QVAESTIO II.

Est de periculo vtriusque lateris.

SOLVM inuenio peritissimum virum Valesium, qui hanc disputationem moueat, licet Conciliator, & Matthæus de Gradi, leui conferentia hanc discutiant, Auicena 10. 3. tract. 4. ca. 4. vbi sentit deteriorem esse Pleuriticum dolorem lateris sinistri, quia est proximior cordi, quæ

di, quæ sententia nobis magis placet tum ratione vicinitatis cordis mala enim quæ cum eo magis cõmunicant deteriora sunt, sequiora accidentia tunc contingunt, & non aberat, quòd ista pars lateris thoracis sit nobilior, quia in parte sinistra splendescit facultas propria ipsius cordis & si absolutè partes dextræ sint calidiores & principaliores sinistris, in corde aliter res se habet, mala enim quæ parti sinistræ cordis cõtingunt citius enecant, vt constat ex Galen. lib. 5. de locis cap. 2. neque obstat, quòd latus dextrum fortius cum sit, & pleuritis dextri lateris arguat maiorem causam, quia ibi est maior apparatus ex copia sanguinis, puta venæ cauæ & dextri ventriculi cordis quorum causa maior copia sanguinis funditur, neque facit, ad rem (salua pace tanti Vallesij) quòd arteria ad latus dextrum inflecta tur hoc autem non fit nisi multo inferius quando gula ad ventriculum complantationem comminatur, & ideo, sentio cum Auicena pleuriticum lateris sinistri deteriorem esse: his adde quòd facilius terminatur, eiusmodi inflammatio, quia debilior est pars sinistra quam dextra, idque probo simili argumento ignobilior est lieni quam iecur, nihilominus tamen inflammatio lienis deterior est tum, quia non habet vias præuias per quas se exonoret sicut iecur, quanuis sit in parte sinistra & ignobili, & ob id etiam Rasius tertio continentis tenet istam nostram sententiã quam, non dedignabor, vna experientia confirmare vidi mus in publico AErario AEgyptium hominem iuuenem qui ob saltum in sinistro latere passus fuit inflammationem, quæ tam maligna fuit, vt mediam partem Pericardij exederet & nunquam hoc visum in latere dextro, non alia de causa nisi ratione communicationis leuissimæ quam committit ad partes sinistras, tum ratione feruentissimi caloris partis sinistræ adaucti à calore inflammationis. Præterea quis dubitat, quòd vbi sæuiora accidentia

dentia reperiuntur maiorem & vehementiorem & periculosiorem esse morbum, sed in parte sinistra, maior est difficultas inæqualitas & tandem spiritum difficiliorē reddit, ergo ibi erit maior morbus neque pudet, nos posse satisfacere loco Hippocr. libr. de morbis cum de pleuritidis transmutatione disputat cum dicit optandum, vt sonitus fiat in latere sinistro, non vult Hippoc. vt optetur ipsis, neque suppuratio in latere sinistro, sed cum pleuritis apprehenderit latus sinistrum transmutatio optanda est, in eodem latere, quia si pleuritis in vna parte est, & trâsmutatio in altera parte fuerit infelix prouentus ex ea timeretur.

QVAESTIO III.

De Pleuritide dextris lateris.

INTER extrema remedia & maxima quæ laudauit Galen. vacuatio est vsque ad animi deliquium potissimum in inflammationibus interioribus, veluti in pleuritide quæritur inter grauissimos authores. Vnde talis euacuatio, sit exercenda, ita vt semel, funditus & vna vice sanguis extrahendus sit, probat Hippocrates libr. 3. epide, secret. 5. in histo. Anaxionis in 8. ægroto secuit venam idem Hippocr. lib. 2. de victu acutorum, textu 10. & lib. 4. de victu acutorum, text. 19. Galen. melius, lib. 1. Aphor. 23. sed clarè sibi repugnat Galen. Hippoc. libr. 2. de victu acutorum citato, vbi expresse docet, neque tam copiose, sanguis extrahendus, sed ad mutationem coloris in quo titul. circa ista verba non parua, dubitatio est, & ideo Auicena 10. 3. tract. 5. cap. de cura. pleuritidis magis diligit quantitatem discretam quam continuam, & ita sæpe, dicebat melius est infra subsistere, quam exquisitè euacuare potissimum in his inflammationibus quæ paulatim à natura

terminantur, quæ sunt per certa interualla comminuuntur, vel augentur necesse est per eandem subuenire vel leuare, & ita in communi vsu habetur, vt fiat in hoc morbo partita euacuatio Hippocrates vero lib. 3. epide in historia Anaxionis, vnica, vice extrahit, quia sero & vsque ad octauum, sanguinem non misit Galen. vero intelligendus est pro magnitudine inflammationis.

QVAESTIO I.

De Peripneumonia.

CVM ergo ista passio inflammatio pulmonis sit quæritur cum possit oriri à diuersis humoribus quæ verior est Peripneumonia an ea, quæ fit ex pituita vel ea quæ fit ex bile. In qua quæstione plura consumit Matth. de Gradi ex mente Mesues, sed breuiter dicendum huic quæstioni, quòd in ratione temperamenti, & naturæ inflammationis verior est quæ fit ex bile, quam quæ fit ex pituita, sed in ratione apparatus recipiendi verior est, quæ fit ex pituita, quia pars fungosa & in senibus facili momento ex quauis occasione ex pituita contingit, & ita intelligitur Galen. libr. 4. de causis pulsum, cap. 12. vbi tenet Peripneumoniam magis accidere ex pituitosis propter pulmonis dispositionem, sed hac in re, vna & difficilis, quæstio suboritur, circa Auicenam quam non soluunt communiter interpretantes: nã sen. 10. 3. tract. 4. cap. 10. ibi docet Peripneumoniam, quæ ex pituita fit esse minus periculosam, quia biliosa cito interficit cum biliosa, magis consonet temperamento pulmonis, neque pro responsione huius quæstionis necessaria est turba quam mouet Matth. de Gradi, an excrementum pulmonis sit biliosum vel pituitosum, nam vnumquodq;

quodque, recrementum atteſtatur parti, à qua ducitur niſi forte ex alijs partibus attrahatur. Dicendum eſt ergo cũ Auicena magis periculoſam eſſe bilioſam propter propinquitatem cordis, quia vires reſoluit cordis, non tamen per ſe, quia facilius diſsipabitur, ſi ex bile fit. Et ita Gale. lib. 4. de cauſa pulſibus cap. 7. Peripneumoniã, periculoſam magis eſſe quã pleuritis, quia magis cõmunicat cordi, & ita plures ſeniores viſi ſunt ſaluari, ex Peripneumonia, licet tardius & praua pectoris, diſpoſitione his adde difficultatem, vacuationis, in cauſa eſſe, nam ex bile difficilius vacuatur, quia magis adhæret pulmoni.

QVAESTIO II.

HVIuſmodi ſecũda quæſtio ex prima dipendet, quia ſi vt plurimum fit ex ſanguine pituitoſo conueniet ſanguinem mittere in ea abundantia, vt in pleuritide. Cui quæſtioni reſpondet Raſius. 4. Continentis, & Auicena 10. 3. tract. 4. cap. citato, quòd valde timoroſum eſt in hac ſanguinem, in maxima quãtitate extrahere ſicuti in Pleuritide, tum quia magis ægri exſoluti ſunt, tum etiam, quia ex pituitæ abundantia ſuboriatur: & ita cum maiori præmeditatione his ſanguis detrahendus. Vnde & merito Cornelius Celſus lib. 1. cap. 7. & Paulus lib. 3. cap. 30. cenſet, quòd ſi ad illos morbos ſubſequatur peripneumonia ſanguis detrahendus non eſt, qui Authores cum ſale intelligendi ſunt, ſi videlicet prius eger non fuerit expertus, aliquam euacuationem, vel plus iuſto debilis fuerit, quia ſi fortis ſit & non præceſſit aliqua euacuatio ſanguis detrahendus eſt, eſt enim magnus morbus & cum febre continua alias Paulo repugnaret AEtio, & alijs viris grauiſsimis qui in quauis peripneumonia cenſent ſtatim, in principio ſanguinem detrahendũ eſſe. Ad phlebotomiã,

neque scopus, neq; indicatio à tempore sumunt: nisi quatenus ratione temporis vires collabuntur Galen. lib. 9. Metho. capit. 5. §. optimum igitur. Et idem libr. de sanguinis missione cap. 2. §. cum ergo. ad med.

QVAESTIO III.

De Peripneumonia de vsu cucurbitulæ.

DE cucurbitularum applicatione, non ita facilis sermo est in pleuritide, & peripneumonia, nam in ista inflammatione Rasius & omnes Arabes dicunt esse applicanda gratia euacuationis. Ita vt postquam abundè vniuersum corpus vacuatum sit possumus his vti. Quam sententiã Galen. docet lib. 11. Meth. c. 17. ad fin. §. itaq; etiã cucurbitula deficit & non in alijs, sed nobis grauis insurgit difficultas qua de causa & quorsum his in his inflammationibus vtamur. Et primo ostenditur frustraneũ esse earum vsum, quia si gratia euacuationis, vt ab eodem loco materia extrahatur non est possibile, quia cucurbitula nõ attingit partem inflammatam, ergo ab eadem extrahere humorem non potest, id autem proprium vacuationi & annexum est, vt ab eadem parte humor, euacuetur, ex lib. de sanguinis missione sæpe lib. 13. Metho. cap. 11. & 19. & meli us lib. & cap. de cucurbitulis, vbi de cucurbitulæ effectibus loquens ait, id habere, vt factis omnibus, vacuationibus apertè inflammationem resoluat foraſque attrahat humorem. Præterea in reliquis inflammationibus interioribus in declinatione nullus vsus erit cucurbitarum. Cum ergo in parte, tam caua & profunda vsus erit cucurbitulæ, item quoties in reliquis inflammationibus exterioribus, fit vacuatio ab eodem loco semper fit scarificatio in eadem parte inflammata, vt humor extrahatur.

Ita

Ita Galen. fecit & consulit lib. 2. de arte curatiua ad Glauc. cap. 7. & 8. & alias sæpe lib. 14. Metho. cap. 7. de ateromate & asteatomate loquens, & his omissis, si cucurbitula admouetur, eo fit, quia inflammatio euinci & repurgari à natura nõ potuit, sed impossibile est, vt à cucurbitula extrahatur, ergo superfluus & noxius erit vsus cucurbitulæ proinde necesse est examinare, quomodo vsus cucurbitulæ desumatur, desumitur ex quantitate & qualitate morbi: & tempore & contingentia morbi est, res maximę admirationis, quo pacto in ista inflammatione conueniat quando neq; enim in inflammatione hepatis renum vel cerebri ab authoribus commendetur, & ita admiratur Tralianus libr. 6. capit. 1. in partitione secunda. qui melius inter omnes vsum cucurbitulæ commendauit, dicens proficere vsum cucurbitulæ factis omnibus vacuationibus vbi virtus debilis, & pauca copia sanguinis est, sed addit debere fieri cum scarificatione, in quo cum illo sentio si enim exteriores inflammationes scarificationem desiderant multò melius & interiores quem modum administrandi non sequuti sunt nostri authores neotherici, sed etiam applicant siccam, sed vt verè dignoscatur quorsum non sine necessitate applicatur dicendum esse administrã dã permissis vacuationibus, si dolor instat tensio in latere sentitur, quia posset fieri, vt simul cum inflammatione spiritus flatulentus misceatur, cuius curatio ex sola cucurbitula dependet. Sed quæ nam fuerit causa cur in dolore pleuritico, & non in alijs inflãmatiõibus proficiat difficillimũ satisfacere potissimum in inflammatione pulmonis credendum causam esse, quia dolor pleuriticus fit ab humore subtili, vt plurimum raro ab humore crasso, & quia cucurbitula maximè resoluit, & fugit ex parte interiori, ad exteriora, quoties in eadem parte consistit ob id, humor qui est in pleura, quia adhæret costis exfugitur in

potenti nihil est difficile & melius multo quaudo adminiculatur auxilio medici.

QVÆSTIO I.

De Ptysi vtrum semper sequatur ex ea hectica.

CVM ergo iuxta sententiam Hippoc. libr. 5. Aphor. 15. pleuritici, si empyematici sint in quadraginta diebus nõ repurgãtur in tabem transeant, hoc est, vlcus pulmonis resurgit, ex quo tabes sequitur. Quæritur vtrũ ad vlcus pulmonis sequatur tabes vel hectica febris necessario hãc quæstionem disputãt interpretes apud Rasium lib. 9. ad Almãsorem cap. pprio, vbi Matth. de Gradi adhibuit, aliquas euasiones quas breuissimè excludit Iachinus ad quem relego curiosum lectorem. In qua quæstione grauissimũ vnum argumentũ est, q̃ non necessario ptysicus debeat esse hecticus, quia cõstat experientia plures vixisse ptysicos & per multos annos durasse, idque non contingeret, si statim tabe vel hectica corriperentur, idque probat ex Conciliatore qui adducit plura exempla in differentia 210. exhaliabate. 6. practice capit. proprio de ptysi, cuius argumenti euasio Matth. nobis non satisfacit dicendo in vera ptysi, posse fieri, vt non vera hectica fiat, quia multum temporis vita prorogari potest, vtendo debita præseruatione per regimen debitum ex modicè abstergentibus mixtis cum modice refrigerantibus: nam primo repugnat Galen. lib. 5. Metho. cap. 12. vbi docet vlcere nõ solum existente in pulmone, sed in cana pulmonis necessario ptysicum, & tabidum fieri, & ex lib. 7. Aphor. 16.

Præterea deducitur, ex eo, quia febris quæcunque ista

fit, quæ

fit, quæ sequitur ad vlcus pulmonis ad nullũ aliud genus febrium, reduci potest, nisi ad hecticam, ergo necessariò omnis ptysicus verè hecticus & tabidus est, nam tantus, & tam magnus morbus non potuit cedere nisi magno remedio, vt habet Galen. lib. 5. Metho. cap. 12. 98. non solum vtendũ modice exsicantibus & astringentibus potissimum, cum medicamenta quæ ad pulmonem attingere debent nisi maxima vi constarent ad pulmones nõ facilè peruenirent, omissis distinctionibus: Arabum ad mentem Galen. locis citatis vera ptysis non est possibile, vt cõtingat sine vlcere pulmonis vel canarum eius. Si nobis appareat ptysicos diu nostro tempore durare hoc, nõ contingit ex aliqua præseruatione, sed quia quantũuis ex pulmone plurima recrementa cocta appareant, & suppurata nõ induxerunt vlcus pulmonis, est potius purulentia, quę vel à capite vel à iecore, quotidie ad pulmonem demandatur, cumqua multis annis viuere vidimus & liberãtur huiusmodi per vias vrinæ, vt docet Galen. lib. 6. de locis cap. 4. ad fin. & lib. 3. epydem, in pluribus gratis, idem colliges ex lib. 7. Aphor. 30. de qua purulentia loquitur Gale. lib. 4. de locis cap. 8. ad fin. §. si citra febrem serosus aut pituitosus humor & talis purulentia, solet contingere in his qui diuturna febre quotidiana vel tertiana, notha apprehenduntur, q̃ subito ad pectus multitudo humorũ accurrat si tantũ talis purulentia diu persistat cito vlcus excitatur.

QVAESTIO II.

De Ptysi.

ETIAM etiam si ab authoribus non controuertatur. An de in Ptysi liceat vti suffumigijs ex medicamentis epuloticis, alio nomine corrodentibus, vel mortiferis,

feris, veluti ex cinabrio vel ex aqua argentariorum vel ex alijs quam plurimis medicamentis quam tradit Auicena 10.3.tract.5.cap.6.§. & quandoq; prosunt genera suffumigiorum. Sed maximè pugnare videtur cum methodo curãdi istius ægritudinis, primo quia ptysicus hecticus est, & hæc medicamenta plus iusto exsicant quæ toto genere vitanda sunt in ptysicis. Præterea cum sint venenosa, fastidiosa, prauiq; odoris thusim mouent, & vlcus dilacerãt, & veneno cor afficiunt. Placet hac parte consiliũ Matth. de Gradi sub tacitum, qui parat suffumigia ex terra cressa, vel bolo armeno cum cortice oliuæ, vel alijs medicamentis similibus. Qua in re velim admonere lectorem, vt his medicamentis non vtatur, nisi forsan in purulenticis, qui citra febrem expuunt suppurata, pro quorum curatione tutissimum est consilium Manardi libr. 18. Epistolarum, Epistola 5. vbi docet esse maximum remedium efficere fontanellã in humero, videlicet in musculo bicorni quatuor digitis ab humero.

QVÆSTIO III.

De Ptysi de impositione medicamenti ex tapsia.

SOLET aliquando Ptysis accidere ex consensu capitis, propter distillationem humoris feruentissimi, & sal suginosi, qualis casus obtigit, in illa immani pestilentia, quam enarrat Galen. lib. 5. Metho. cap. 12. ex catharro pestilenti, qui multis annis ad nos ex Oriente peruenit, quæritur vtrum in hoc morbo conueniat vti synapismis vel diopacibus medicamentis positis in sutura coronali, quibus vtebatur Galen. loco citato, veluti emplastro ex tapsia vel stercore columbino, quorum medicamentorũ præceps

præceps vsus à Galen. fuit constitutus, vt subito attraherentur humiditates ad exteriora, ne pectori cõmunicatæ vlcus excitarent, vel in aspera alteria vel in pulmonibus, quam opinionem conuellit Tralianus lib. 2. c. 5. quia his si vatmur cõcalfiet magis caput, & maior erit humorũ præcipitatio ad pectus, & calidiores fient, vnde maius malum concitabitur, sed salua pace, tanti authoris per impositionem horum medicamentorum, non vult Galen. vt calfiant humores, sed potius vt exterius euocentur, & caput exsiccetur, per modũ reuulsionis ab interioribus ad exteriora, quod est vnum genus reuulsionis, & hoc debet fieri vna, aut altera vacuatione facta vel per sanguinis missionem vel medicamento purganti, quæ omnia, vt vult Galenus eod. loco vna die debent fieri, quia cito ex distillatione illa, Ptysis poterit concitati, & sic amatus & nunquam dilectus in quadam centuria perperam Alexandrum contra Galen. defendit: quia censet præstantius esse, vt vtamur medicamentis, & elegmatibus attemperatibus tantum feruorem: cui dices non esse hoc contra Galen. nam ne mouendo humorem, & ab sumendo, & asperam arteriam attemperando, facibus causa calida abigetur.

QVÆSTIO I.

De Morbis cordis.

VTRVM cor possit pati, aliquam solutionem continui longa dubitatio est, & magna, Aristo. lib. 3. de partibus ani. dixit quòd nusquam in cordis morbis visa sunt, apostthemata dissectis animalibus, potissimum in ceruis qui magno cordis dolore affliguntur, quia cor propter robur resistit omni cursui humorũ, vt sic affligatur. Dicitur tamen visa

esse in Pericardio, & ego vidi in AErario meis oculis erisipelas Pericardi, quod citò inter necauit illustrem virum videlicet intra triduum, & Auicen. Fen. 11. 3. tract. cap. 2. dicebat, quòd cor nec dolorem tolerat, nec apostema, quòd ante docuit Galen. ca. 1. de locis affectis impossibile est, quòd cor patiatur abscessum, & ob id Rasius dicebat lib. 7. continentis. peculiari tractatu, cor nõ posse pati apostema, quia propter suum calorem citò liquabit illud, sed altera ex parte videtur oppositum ex Galen. libr. 5. de locis cap. 2. vbi in animalibus, scilicet ceruis, qui in venatione colliguntur visi sunt per aliquot dies vixisse, qui habuerũt tella affixa cordi, etiam eod. tract. dicit, visos fuisse milites, qui in bello occisi sunt ex apostematibus calidis in corde acceptis. Et ita breuiter tenendum est in hac quæstione, cor posse pati solutionem continui & apostema, sed nõ citra mortis periculum, & illud voluit sentire Auicen. locis citatis, in prima parte quæstionis. Quod si aliquis dicat quodnam signum possit haberi ad ostendendum apostema cordis, nõ certum est, ex Galen. certum est esse pulsum intercidentem, quia cor non potest dilatari, nec complere suum motum, si aliquo malo teneatur, vel vt melius dicam ferè in totum pulsum amitti, vt vidi in exemplo dicto.

QVAESTIO II.

De corde.

EX qua vena in tremore cordis debeat fieri venæ sectio? Omnes authores, qui de venæ sectione in hac passione loquuntur omnes tales sine discrimine, & præmeditatione aliqua tenent, sanguinem detrahendum esse ex basilica sinistra: quia cor magis vergit ad sinistram:

hanc

hanc tamen doctrinam nullius authoritate confirmant, nec Rasij, nec Auicenæ, solum communissima, & vulgatissima obseruatione, quòd cor magis ad læuam, quam ad dexteram declinet: veluti in morbis lyenis ex sinistra parte, in morbis iecoris ex parte dextra vena secatur, ratione rectitudinis naturalis partiũ. Sed ego nõ intelligo quo modo ista opinio possit saluari. Primò, quia cor residet & pendet ex media thoracis regione, ex lib. 6. de vsu par. cap. 7. ergo non magis declinat ad vnam partem, quam ad aliam, & per consequens ratione situs non indicat magis debere fieri ex vno latere, quam ex alio. Secundò ex eo constat, quia vena caua, quæ cor intrat potius adhæret parti dextræ, quam sinistræ, imo muta ventriculo dextro cordis inhæret, ex lib. 6. de vsu part. cap. 11. & 12. & cap. 4. ex quo sic formatur argumentum, ab ea vena facienda est venæ sectio quæ magis communicat cum parte læsa, ex libr. 5. Metho. cap. 3. lib. de sanguinis missione. cap. 15. sed basilica magis communicat cum vena caua, quia semper per dextrum inclinat: ergo ex vena basilica facienda est venæ sectio. His adde quod Rasius lib. 9. ad Almansorem cap. de tremore cordis, absolutè dixit faciendam esse venæ sectionem ex basilica, sed basilica absolutè dicta stat pro vena lateris dextri. Idem cõfirmat Auicen. 11. 3. tract. 2. cap. 6. quod si cor declinare videtur ad leuam est ratione mucronis, quæ ignobilior pars est inter cæteras partes cordis, teste Galen. lib. 6. de vsu part. citato, & quia pulsatio magis in parte sinistra quàm dextra sentitur.

QVAESTIO III.

De corde.

VTRVM in passionibus cordis, videlicet tremoris competant nimis frigida, quando videlicet tremor

à causa calida procedit vel contingit sæpe in vehementissimis febribus vel continentibus ex vehementissima effumatione caliginosa, & tremore, cor ipsum corripi: & aliquando syncopi vexari, quæritur prolixè ab authoribus. Vtrum debeamus vti his medicamentis, tum foris applicitis, tum interius exhibitis. In qua quæstione varius est modus procedendi, & quoniam quæstio est de vitæ conseruatione, vtpote quod agatur de custodia virtutis vitalis, quæ dignior est reliquis, ex libr. 9. Metho. cap. 10. sine ambagibus in ista quæstione sola sententia Auiceuæ in sequenda est, & omittenda Conciliatoris in differen. 196. & machinamenta, quæ dum apprehenduntur potius medici iudicium confundunt, quam claritatem, & viam curationis insinuent, Auicen. ergo. 11. 3. tract. 2. cap. 4. ita respondet per distinctionem, si febris vehemens fuerit, vt intolerabilis intemperies cordi communicetur, tum purè frigida admouere, & exhibere scilicet, vt aquam niue refrigeratam, vel aquã mixtam cum niue, vel cum aqua rosacea: cuius præcepti ea est potissima causa, vt subitò compescamus ipsum calorem, ne suffocet ipsum cor: & illud est, quod innuebat ipse cum dicit, & quandoq; febris tantæ magnitudinis est, & acuitatis, vt relicto regimine causæ licet vti vltima refrigeratione, cui dogmati, adde hoc faciendum virtute existenti forti, alioqui resoluetur, & suffocabitur ab incursu frigidorum: si tamen virtus sit debilis, oportet cum medicamentis frigidis immisceri calida. Vt facilius penetrent, & ne prædictum inconueniens sequatur. Ex quibus aliquot corolaria sequuntur animaduertenda. Primum est posse dari frigidam intense in casu præhabito. Secundum posse exhiberi opiatum ea quantitate communi, qua solet exhiberi, vt existimat Conciliator, in differentia præhabita, veluti philoniam mandragoram Theriacam, quorum exhibitionis causa est, vt humorum

rum acrimonia subtilitasque reprimi possit. Iuxta mentem Galen. lib. 12. Metho. cap. 7. Pro quo vsu elegans electarium componitur à Conciliatore, quod imperiale nominant, in eundem vsum prodest theriaca, quia medicamentum oppiatum est. Sed certè cum plurimorum medicamentorum calidorum prouentum habeat, suspectũ nobis est nec foris applicitum, nec interius ebibitum, & in hoc parcat cœtus Lusitanorum, qui in suis tractibus de corde maximè commendant theriacam. Aduertendum inest, huiusmodi medicamenta semper assumenda, vel exhibenda cum medicamento cordiali, in quorũ oppiatorum vsu semper memoriæ commendanda est Auicenæ sententia 4. primi. cap. 30. §. debet. ergo bonæ mensurationis, &c.

QVÆSTIO Vnica.

De Syncopi.

VTRVM in Syncopi competat vacuatio aliqua, maximum dubium est: quoties ex multitudine humorũ prouenit solet, nonq; ipsa suffocare, tale autẽ accidens nõ frequẽtatione solet accidere, tantũ his qui plus iusto veneri, & ingluuiei, dediti sunt, de quibus loquutus est Galen. lib. 1. de arte curat. ad Glauconem, capit. 14. §. quæ vero ex humorũ multitudine &c. In qua difficultate medici auribus lupum tenent, & ferè nullus medicorum protulit suam sententiam, nec antiquorum, nec Neotericorum, nec hic sermonem facimus de animi deliquio, sed de Syncopi, quæ præceps virium lapsus est, in quorum distinctione non bene se habuit schola Complutensis, quæ definit animi deliquium, per animalis facultatis lapsum:

itaque animi deliquium solum sit lapsus facultatis animalis, quæ sententia delira est: nam vna facultate resoluta, reliquas perire vel resolui necesse est libr. 9. Methodi capit. 10. quibus suppositis ad quæstionis vim accedamus, nam si syncopis præceps virium lapsus est, in qua virium resolutio est, nulla vacuatio competere videtur. Et ita sentit Galen. lib. 12. Methodi capit. 3. vbi vtramque vacuationē negat his qui syncope tenentur. Ex altera parte videtur his conuenire vacuationem, nam nisi multitudo deponatur, non possumus suffocationem præpedire: vnde Galenus libr. 9. Methodi capit. 10. ibi docet in abundantia humorum virtute existente debili curationem per epicrasim deberi quę Paulatim euacuet: & modi cevirtutem reficiat, ergo aliqua vacuatio debetur his dum modo non sit extrema. Præterea videtur impossibile, quòd sit plenitudo & virium per essentiam labefactatio, sed potius per aggrauationem. His tamen non obstantibus tenendum est cum Galeno, libr. 12. Methodi citato, non posse in his affectibus aliquam notatu dignam vacuationem fieri nisi fricationem, vel aliquem leuem clysterem vel vomitionem, semi spontinam: & ita consulit Galenus libr. primo. de arte citato, cum inquit, hi tractandi victu tenui veluti aqua mulsa, talis autem gubernatio sufficit, pro euacuatione: quia non subito dissoluit naturam ipsam: sed promouet concoctionem, & consumptionem, idem sentiebat Auicen. 1 1. 3. tract. 2. cap. 8. §. & quandoque duæ necessitates nobis coniunguntur secundùm partes diuersas, indigemus minutione, & spiritus restauratione: & ita dicit & concludit, quòd etiam si indigeamus regimine causæ, non datur locus ratione accidentis.

*

QVAE-

QVÆSTIO I.

De Pasionibus ventriculi, & primo de Colirica pasione, quæritur vtrùm cum huiusmodi vacuatio fit per vtramque viam, liceat ne vomitum iuuare, vt vomitus vomitu curetur.

SAEVISSIMA est ista pasio, vt cum natura vtrique vacuationi sit intenta liceat vomitum iuuare, videtur difficile, & pro parte negatiua adest illa communissima sententia Galeni lib. 1. de arte. capit. 14. vbi inquit. Quibus venter fluit sufficit pro vacuatione, ergo quibus per vtramque viam fit excretio, magis sufficit: & ex eo patet, quia huiusmodi euacuatio maximè symptomatica est, ratione dilaceratio nis ventriculi, quem potius corroborare, & firmare, quã subuertere licet, docet Galeno lib. 11. Meth. cap. 16. per totum. Prẽterea ista pasio authbre Rasio cap. proprio, lib. 9. ad Almansorem, fit à prouentu humorum calidorum, & humoribus corruptis, ergo putrefactio & malitia à vomentibus augebitur. Sed altera experite est sententia Auicenæ 13. 3. tract. 5. cap. 8. de subuersione ventriculi, si materia fuerit in fundo & corrupta præstat euacuare ipsam, cuius documenti causa euidens est: quia dum continetur in ventriculo maiora mala cõcitat, ergo præstantius est eam educere. Proinde breuiter dicendum, in hac pasione vomitum prouocandum, quoties in pauca quantitate euomitur & cum nausea, & anxietudine, & ita Aliabas. 7. practicæ, in principio in colirica pasione, in primo festina cum vomitu, & non occupari in remotione. Et ita Tralianus lib. 7. cap. 14. inquit si igitur ciborum corruptio per initia tibi appareat & æger nihil operetur per ventrẽ, aut vomi-

tum

tum excernat, sed nauseat, & velicetur tunc exhibere conabimur, quæ vomitũ potius prouocare largius possint. Ex quibus sententijs commotus Matthæus de Gradi, hoc præceptum nobis reliquit.

QVAESTIO II.

De debilitate ventriculi, vtrùm liceat eleuare patellam, quam Hispani espinillam appellant.

IN hac quæstione quæritur debili existente ventriculo, liceat eleuare mucronatam cartilaginem, pro qua nota quod per debilitatem non intelligimus quamlibet intemperantiam more impicicorũ, qui omnem ventriculi langorem debilitatem appellãt, iuxta sententiam Galen. lib. 7. Meth. cap. 2. ad fin. §. non intelligere ea quæ dicunt &c. Per debilitatem intelligimus propriè langorem ventriculi communissimum, quando nec retinet, nec concoquit: tunc obstetrices, quæ semper omnia mala procurant, existimant patellam ossis pectoris, vel mucronatam cartilaginem, ab osse pectoris concidi, & quod magis est, fuerunt nonnulli medici huius nostri temporis, qui cum videant prodesse remedium harum maleficarum, illarum sententiæ assentiant: sed verè falluntur cum eis, quia impossibilis est casus mucronatæ cartileginis, nam si ipsa cõcideret, necessario costæ quæ ipsi adhærent, deciderent, quod est impossibile, quia in accidentia costarum deuiantium à sua sede contingerent. Præterea demonstratio anothomica id ostendit clarè: nam in homine de mortuo, qui imbecilliores habet partes, quantumuis cultro obtuso conteratur frangitur, & non relaxatur. Præterea ipsa est cartilaginea, quam sic cõstituit natura, vt solueret vim percutientis, ergo quando à causis externis non potest domari,

nec à

nec à cauſis internis:& per conſequens nec cadit iſta pars à ſua ſede,nec eleuatur. Sed ſi quæras vnde habuit originem iſte modus curandi,quia in caſu præhabito maximè prodeſſe ſolet:dicendum eſt,hoc ab antiquis duxiſſe principium:non quia mucronata cartilago conciſa vel relaxata ſit,ſed quia calor ventriculi ſuſcitetur, qui veluti ſepultus iacebat,& ita vult Galen.in loco Peregrino, qui à nullo hucuſque interpretatus fuit,lib.7.Metho.cap.7. in medio,cum inquit. Sanè in his optimũ medicamentum eſt, quo picatores iutendũt illinire,& auellere: huiuſmodi illinitio & auulſio fit per medicamenta picantia,quæ Græcè dropatia dicuntur,talia cum picant,calorem ſuſcitant qualia ex ſynapi, & Pipere cum melle componuntur, & ſi pro ventriculo curando ſpecies Elephanginas miſcueris, gratiora erunt ventriculo.De quibus medicamentis in genere meminit Galen.lib.14.Metho.cap.16.de extenuationum curatione: cum inquit. His verò picari commodum eſt: & ita manet ſoluta dubitatio, quòd vſu horum medicamentorũ mucronata cartilago eleuetur: ſed quia ventriculus languidus ſuſcitatione caloris reſtauretur. Et ita Galen.libr.7. Methodi capit.4. §. quòd ſi horum nihil profecerit, &c.

QVÆSTIO III.

De Intemperantia ſicca ventriculi.

IN huiuſmodi intemperantia ſicca ventriculi,quam hecticam ventriculi appellant, dubitatio eſt,an competat potus aquæ frigidæ:nam Galen. pro intemperie calida dedit potum aquæ, quæ non ſolum frigida fontana, ſed etiã niue refrigerata concedenda,ita inſinuauit libr.7. Metho. cap.4.cum dicebat.Quippe qui vidiſti nõ ſolum vna die,

sed hora plurimos ab hac intemperie sanatos, &c. Idem insinuat cap. 9. eiusdem in principio. Sed videtur sibi repugnare Galen. lib. 9. Metho. cap. 5. vbi existenti aliqua parte debili non competere potum dixit, Potissimum ex interioribus, sed poterit aliquis satisfacere dicendo, q̃ per debilitatem intelligit Galen. quando aliqua pars intemperie frigida vel humida corripitur, quia propriè partes debiles dicuntur, quando orbantur calore. Sed tunc maior consurgit difficultas, potius exhibet potum in intemperie humida & calida, quam in intemperie calida & ficca, vt ipse insinuat cap. 9. allegato cap. 12. ad fin. cum dicebat, qui autem calor cum siccitate coniunctus est eadem genere remedia poposcit, sed non adeò securus est propter causas iam dictas, sed maior debilitas contrahitur per humiditatem, & calorem quàm per siccitatem coniunctam calori. Item magis contradicit potus aquæ intemperiei calidæ & siccæ, quam humidæ & calidæ, ergo non tenet responsio. Præterea omnis curatio componitur ex præseruatione & curatione, sed magis curandum est de præseruatione hecticæ in omnibus intemperantijs, ergo potu aquæ frigidæ melius in sicca calida, quam in calida, & humida competit, & quia facilior est transmigratio ab intemperie sicca quàm humida, totam istam cõsequutionem, probat Galen. lib. 10. Metho. cap. 6. in medio. Loquendo de febribus à quibus fit transmigratio in hecticas. Ita inquit, ego enim in talium, non paucis dedi (scilicet potus aquæ frigidæ) tutius esse ratus phlegmonas in præsens augere, quam sinere hominem in hecticam incidere, vsque igitur (vt semper dicere soleo) curatio dignotionem prænotionemque consequitur: siquidem Medicus dignoscat quod præsens est, & prouideat ex eo quod futurũ est. Cui quæstioni possumus primò satisfacere, quòd in vtraque competit potus aquæ, si vires valentes sint. Secundò dices magis com-

gis competere in calida & humida, quia ſicca intemperies maximè virtus reſoluitur, & citò à tanta frigiditate extinguetur. Et ita Galen. lib. de marcore cap. 8. & cap. 7. docet in febribus prædictis nihil magis prohibere marcoris generationem, quam potus aquæ frigidæ, etiamſi febribus ipſis lædat. ¶ Ex quibus colligo vnum corolarium, quòd non per modum diſputationis voluimus exagitare, in intemperie ſicca, quæ fit vel per conſenſum ventriculi, vel per primam affectionem cordis non competere balneum aquæ frigidæ, ſed tepidæ, vt clarè probat Galen. lib. 7. Metho. cap. 6. & lib. de marasmo cap. 6. & 7. Nam in huiuſmodi balneo intenditur humectare, & corpus pingueſcere, & ob id Galen. lib. 7. Metho. cap. 6. docet à balneo inungendos oleo ne frigidum exterius offendat, & per cõſequens magis offenderet frigiditas aquæ, quia denſior eſt, & calorem tum naturalem, tum præter naturam exorberet.

QVAESTIO IIII.

Vtrùm ventriculo tepida vel calida quãtum fieri poſsit, ſint admouenda remedia.

ALIQVI exiſtimabant medicamenta, quæ ventriculo admouentur tepida admouenda eſſe, eo quia medicamenta tepentia ſunt caloris moderati, quo calor ventriculi conſeruatur, & probant autoritate Galen. lib. 7. Metho. cap. 6. vbi docet Catullum, vel infantem ventriculo admotum, vires ventriculi reficere, ergo cùm tepentia medicamenta habeant ſimilem calorem potius tepentia quam calida plus iuſto ſunt admouenda. Præterea ſi ventriculus afficiatur intemperie calida vel aliqua inflammatione magis fluxus humorum & inflammatio augeretur.

Sed his non obstantibus dicendum breuiter est, semper calida, & non tepida admouenda in affectibus frigidis: frigida verò in affectibus calidis, quia per admotionem tepefacientium robur ventriculi dissoluitur. Ita sentit Galen. lib. 11. Metho. cap. 16. vbi docet relaxantia semper nocua ventriculo esse, nisi adstringentibus misceãtur, quòd si calor animalium prodest ventriculo, id fit propter similitudinem, veluti accidit cũ vestibus ex pellibus cõstructis quibus calor in hyeme fouetur augetur, & cõseruatur.

QVÆSTIO V.

De apostemate ventriculi.

QVAERVNT apud Rasium interpretes, vtrùm in omni apostemate ventriculi competat phlebotomia, & communis Medicorum schola sentit, faciendã esse ex basilica, quia est morbus magnus: ergo competit phlebotomia, idque cõfirmat Galenus lib. 4. de victu acutorum comment. 21. illo qui incipit obsessa, in quo comment. Galenus inquit in omni apostemate interiori semper inchoandum esse à sanguinis missione, etiam si sit ex matosa vel ex humore frigido semper in partibus interioribus nunquam synceri tumores fiunt, sed mixti veluti in pleuritide, peripneumonia, iecoris inflammatione, sed in hac quæstione difficilis est locus Auicenæ 13. 3. tract. 4. cap. 3. vbi docet phlebotomiam in tali casu necessariã esse in pluribus horis, videtur insinuare, quòd non semper competat si in aliquibus horis non competit: quid autem Auicena voluerit significare per illud verbum in pluribus horis, varij varia sentiunt, quidam dicunt, vt Gerardus in lib. 9. ad Almansor. voluisse Auicenã intelligere apostema colericum, quia in illo non competit phlebotomia, sed

reuera

reuera fallitur, quia in omnibus apostematibus, & inflãmationibus interioribus curatio incipienda est à phlebotomia, vt docet Galen. libr. 4. de victu acutorũ text. citato, nec intelligit Auicena quãdo inquit in pluribus horis scopos phlebotomiæ, vt vult Matthæus de Gradi ex mente Gentilis, nam quis dubitat, in his magnis morbis hos scopos non esse procurandos ad vltimum, nam in inflammationibus pueros senes necessariò phlebotomabis, siue per scarificationem, siue per venæ sectionem, vt in ea quæstione omnes Authores censent, nam pleuritici senes, & pueri necessario phlebotomandi sunt. Quare possumus dicere per horas Auicenam intelligere propriè tempora morbi, sicuti sæpè solet significare in prima. 4. vide hunc locum tract. 2. cap. de horis febrium. Ita ergo intelligitur in præsenti, quasi diceret non licet sanguinem mittere trãsacto principio, quia in incremento vel statu occasione deperdita solent accidere animi defectus, syncopis (solet enim syncopis & ventriculi consensu accidere quoties magno malo capitur) quibus existentibus, nõ licet hanc euacuationem exercere, nam & si à tempore nulla sumatur indicatio ad sanguinem mittendum, verum est, nisi ratione temporis vires collabuntur ab ea desistendum, iuxta Galeni sententiam lib. 9. Metho. cap. 5. §. optimum igitur factum est, id quod nos in re facere vidisti statim non numero dierum, sed vni virium robori attentum.

QVÆSTIO VI.

Circa eundem casum an liceat vti medicamento purganti.

IN hac quæstione aliqua examinabuntur. Primum est an liceat aliquo solutiuo vti. Secundò quo solutiuo phar-

maco sit vtendum. Circa primum videtur, quòd nõ competat, quia vt fiat purgatio & solutio necessariò locus debet esse conferens, ex Hippoc. lib. 1. Aphor. 21. ca. 1. debet esse securus, sed ventriculus inflammatione correptus est læsus, ergo necessariò non competit pharmacia. Præterea ex sententia Galen. in quauis inflammatione potius oportet reuellere à parte inflammata, & læsa, vt si in vtero inflammato, non debet vti eis quis, quæ menstrua prouocent, nec quando est in ventre, ea quæ ad ventrem mouent, sed potius eis vti licet, quæ vomitu euacuent. Ita docet Galen. lib. 13. Meth. cap. 11. post medium, cum inquit, itaque si ventriculum vel intestina phlegmone occupauerit, medicamento purganti, vti non licet, & ita Rasius lib. 5. continentis vituperat in principio. medicamenta laxantia. Sed alia ex parte Auicen. 13. 3. tract. 4. cap. 3. laudat statim in princip. cassiam fistularem cum aqua solani, & endiuiæ, & ita Auenzoar. Rasius idem lib. 9. ad Almansorem cap. proprio. & quòd competat videtur, quia si sit exhibile, ergo euacuanda. Pro isto primo articulo aduerte prius, quod examinari, & dilucidari debet in secundo articulo, videlicet, quæ medicamenta in isto casu sint propinanda, quidam antiquiores Rasio, vt ipse scribit, quinto continentis, dicunt propinari posse hieram Galen. simplicem cum syrupo rosato, & addito scamonio, cum quibus non est assentiendum: nam plus iusto medicamenta ista calfaciunt. Qua sententia omissa dubitatur delenitiuis purgantibus, quæ nostris fuerunt cognita sint propinanda, an stiptica vel emolientia stiptica, vt sunt mirabolani emollientia, vt cassia, sirupus violarum, qui efficitur ex nouem infusionibus, Auicenna loco allegato, quem sequitur Matthæus de Gradi in præsenti, tenet nullo modo competere stiptica, quia impingunt magis materiam. Rasius verò docet nos posse exhibere mirabolanos, & quia necesse

est, sem-

est, semper cum solutionis robur membro inidere, & præbere: & ita deducitur ex Galen. lib. 11. Metho. cap. 16. & ex eo cõfirmatur, quia in vijs ductum, quoties est aliquod impedimentum, necesse est ita alium promouere, ne ab alijs partibus excrementa confluant. Et ita Galen. egregiè lib. 11. Metho. cap. 19. post medium, inquit, ad ventriculum vero & lienem & iecur si phlegmone sint vitiata, mulsa vtilis non est, sed mulsa interdicenda, sed hoc mitissimum medicamentum est, ergo emolientia non sunt exhibenda. Proinde vt colligitur ex sententia Gale. in præsenti cap. nisi in declinatione, neq; vnum, nec alterum exhiberem: & si deberet exhiberi assentior magis cum sententia Rasij dum modo in declinanti morbo propinetur. Et hæc est huius quæstionis resolutio: non prohibendo quòd ex his medicamentis, quæ ad manum habemus fieri possit mixtura, vt si ex cassia sirupum rosatum ex nouem infusionibus vel mirabolanos cum syrupo violato ex nouem infusionibus exhibeas.

QVAESTIO VII.

De appetitu canino.

QVAERITVR & meritò ab authoribus vtrum in appetitu canino vinum competat, quod non competat ex eo deducitur, quia huiusmodi passio prouenit à calore, vt docet Auicena 3. 3. tract. 2. capit. 13. & cap. 18. §. & caliditas, secundùm plurimum causa famis est: & cõstat quia hectici, & conualescentes famelici sunt, ergo si à caliditate prouenit non competit vinum.

Contrariam sententiam fatetur Galen. lib. 2. Aphor. 21. Pro respõsione huius quæstionis absolutè omnes negant Auicenæ sententiam, quia impossibile censent famem ca-

lore

lore ventriculi excitari posse: quia calor appetitum corrumpit, vt ipsemet docet Auicena eadem Fen. tract. 2. capit. 7. §. & frigiditas magis conducit appetitui, quàm caliditas, & probat exemplis aeris ambientis. Vnde Galen. lib. artis medicinalis cap. 63. & capit. 64. de ventriculo calido & frigido disputans docet, ventriculos calidos magis concoquere, quàm appetere, cuius contrarium contingit ventriculo frigido.

Huic quæstioni breuiter dicendum, vinum competere in fame, quia excitatur à causa frigida, & non à causa calida, sed quomodo intemperies calida causet famem, dicendum, prouentum caliditatis non adesse in stomacho vel ventriculo, sed in longinquis partibus, qui dissipat vniuersum corpus, sed cum in altera specie famis frigida videlicet vinum gratia medicamenti sit propinandum, an sit exhibendum, post cibum, vel ante, maxima difficultas est: nam Auicena capit. 14. exhibet vinum pro fame ista in multa quantitate ieiuno ventriculo, sed sic exhibitum multa mala concitabimus, ergo vinum non exhibendum ante cibum. Sed hoc non obstante dicendum est, vinum ieiuno ventriculo exhibendum, ex sententia Galen. loco allato, cum inquit, quòd vini potus non competit inediæ quæ ex fluxibus excitatur: quasi diceret semper mũdũ debere esse ventriculũ à quouis humore, ergo quibus debet opitulari, ante cibos debet exhiberi, vnde meritò venit reprehendendus Matthæus de Gradi, qui censet ad Galen. mentem semper post cibum exhibendum. Vana etiam super Auicenam loco citato iudicanda est Gentilis distinctio, quando distinguit vinum in hac passione dari gratia nutritionis vel calfactionis, nam eo modo quo est medicamentum semper datur gratia calfactionis.

QVAE-

QVÆSTIO I.

De inflammatio iecoris, vtrùm in inflammatione iecoris partis cauę magis competat fluxus ventris quàm in giba.

RARA ista difficultas est, quæ à nullo Neothericorum discussa fuit, quòd autem magis competat in parte giba ventris solutio, quàm in caua ex eo deducitur, quia in omnibus, quæ bene operantur à natura medicus eam imitari tenetur lib. 1. Aphor. 21. sed natura solet in gibæ iecoris inflammatione magis euacuare per ventrem: ergo in ea magis euacuatio per ventrem emollienda est: minor patet ex Rasio lib. 7. continentis, cum inquit, vt plurimum maior sequitur stipatas ventris in caua quàm in giba cuius sententiæ Rasij ea ratio fuit, quia in caua multò magis aggregatur de materia, quàm in giba: & proinde maior obstructio excitatur: ex qua maius impedimentum ad morbi terminationem sequitur. His adde, quòd calor acris inflammationis exurgens à partibus vicinis feces exicat: vnde illud difficillimum dictum Alexandri habet locum lib. 8. cap. 1. in secunda partitione, cum inquit minus mali ex caua iecoris inflammata, quàm ex reliquis partibus succedit. Sed his non obstantibus tenendum habita ratione vtriusque inflammationis, magis conuenire solutionem ventris in inflammatione partis cauę, quàm gibæ. Quæ sententia clara Galen. est multis locis, præcipuè lib. 13. Metho. cap. 17. in medio, cum inquit, à societate verò cum vicinis partibus, quòd idem cum situ est illa capiuntur, quòd giba iecoris per renes, caua iecoris per ventrem inferiorem expurgari oporteat: ergo magis competit alui subductio in inflammatione partis cauæ quàm gibæ: & id clarè mon-

stratur, ex anathomes, quia caua iecoris ex vena portæ gubernatur quæ producit venas, quæ ad ventrem terminantur sicuti giba per venam caua m, quæ per renes expurgatur. Et illud egregiè significauit Galen. libr. 13. Metho. cap. 14. ad finem. §. caua igitur &c. Sed his addere licet vt veram & genuinam curandi rationem inueniamus, in his inflammationibus medicamenta purgantia præter lenientia non conuenire, vt clarè colligitur ex eod. Galen. lib. 13. Metho. cap. 11. cum inquit, siquidem ex his quibus oculi phlegmone tentari cœperant, purgatione facta vna die sanatos vidi, quam rem si quis facere tentet locinere infflammato maximè excitabit phlegmone. Idem Tralianus in 3. parte loci citati, vbi docet grauissima pericula medicos ægris afferre, quicunque medicamentis purgantibus ausi sunt vti. ¶ Ad argumentum ex Rasij authoritate dicendum illud, dixisse via signi, quòd non sit semper signum certum inflammationis cauæ iecoris ventrem humidum, sed non negat in tali casu melius molliri vacuationem per partem cauam, ad ventrem quàm per vrinam, sed hanc securius medici tentare possunt per clysteres.

QVAESTIO II.

De inflammatione iecoris.

VTRVM magis conueniant assa, quàm cocta, certè morbus tam acutus non exposcebat huius quæstionis dissolutionem, sed potius aliorum remediorum inquisitionem, quæ citius morbo tanto satisfacerent, sed vt mori scholæ Barbarorum satisfaciamus in his detineri nõ piguit. Rasius ergo cap. proprio insinuat decocta conuenientiora esse, in quo sibi ipsi repugnat eod. cap. de intemperie frigida iecoris, vbi docet magis conuenire assa, &

multò

multò magis conueniunt assa, in intemperie calida, quia facilius concoquuntur, quam in intemperie frigida, ergo potius contraria ratione hæc sunt disponenda, vt potius in frigida cocta, in calida assa exhibeantur facilius enim cocta quam assa concoquuntur.

Huic quæstioni (præter omnium mentem) facilis est responsio, si dicamus in inflammatione iecoris decocta exhiberi ratione iuris alterati à rebus frigidis quibus decoquitur, & quia ius magis in frigidat & humectat, idque colligitur ex Galen. lib. de optima secta ad Thrasybulũ ca. 37. quòd si assa exhibentur in intemperie frigida, est ratione humiditatis, quæ citò cum illa vnitur & coniungitur ex lib. 7. Metho. cap. 7. in initio.

QVAESTIO III.

Vtrùm in Apostthematibus, vel inflammationibus iecoris sit facienda flebothomia lateris dextri, vel vtriusque?

ISTA quæstio communiter ab omnibus exagitatur, quam quæstionem disputat Conciliator in differ. 197. Existimant aliqui Barbari faciendam esse ex sinistro latere, quia in principio cuiuis inflammationi debetur reuulsio, sed ex latere oppositò fit maxima reuulsio, ergo debet fieri ex opposito. Probant consequutionem ex pleuritide, quia in pleuritide ex latere oppositò fit venæ sectio: sed omisso isto argumento, quod apud ipsos maximè tenet, quia pro viribus istam sententiam pernicioſam defendũt, ad nostras rationes perueniamus. Præterea ratio est, iecur licet magis declinet ad partem dextram, etiam decumbit ad sinistram, ergo non potius ex vena dextri lateris, quam sinistri. Præterea vena caua, qua gubernatur non minori

partitione consistit,& partitur in parte dextra, quam sinistra, ergo si inflammatio decumbit ad partem sinistri lateris poterit fieri venæ sectio ex parte sinistra, quia æqualis diuisio,& sicuti correspondet vna iecori, ita & reliqua. Item patet ex eo, quia ita seruaretur rectitudo in sectione vnius venæ sicuti alterius, ergo vtraque potest secari, patet antecedens, quia ibi seruatur rectitudo naturalis, vbi non transcendit duos diametros sicuti in rectitudine vnius cruris ad alterum, ergo ex vtroque latere potest fieri, quam consequutionem probat Galen.lib.13.Metho.cap.5. vno crurium laboranti reliquum scarificabis inquit, & manus si laboret crus eiusdem lateris. Sed his non obstantibus verisimam censemus opinionem conciliatoris, cum opinione Græcorum in inflammatione iecoris faciendam esse phlebothomiam ex latere dextro,& basilica ipsius. Ita insinuat Galen.lib.13.Metho.cap.11. vbi non solum faciendam esse docet venæ sectionem ex basilica lateris dextri, sed ex cefalica eiusdem si reliquæ non appareant propter consensum lateris dextri, in quo loco non parua dubitatio est, quia apparenter cognoscitur, quòd vena basilica sinistri lateris magis communicat iecori, quam vena capitis dextri cuius argumenti solutionem relinquimus peritioribus, reliquum est, vt ad argumenta in contrarium satisfaciamus.

Ad argumentum de pleuritide dicendum non tenere secundum nostram firmisimam opinionem, quia semper facienda est, ex eodem latere: & ita ad argumentum quod versatur circa situm iecoris, concedimus, vt apparet experientia manifesta, in sinistram partem inclinare. Sed quia gubernatur vena caua, quæ semper per dextrum inflectitur. Et ideo maior & præcipua pars iecoris in dextra habetur. Ad reliquum tamen quod innititur inæqua partitione venæ cauæ possumus dicere non esse eandem rationem

nem in partitione venæ cauæ inguinum, vt cum superioribus, superius plures patitur partitiones vena caba, quàm inferius: vnde necesse est, vt elongetur & obscuretur, rectitudo in superioribus quàm inferioribus, & cum id iam clarissimè ex demonstratione anothomica demonstratum sit in his, iam amplius in morari non licet. Sed nostrum argumentum, non est rationi consonum, vt insolubile iaceat, quia vrget nimis, nam certum est venam axiliarem maiorem consensum habere cum iecore cuiuscunque lateris sit, quam vena cefalica dextri. Dicendum meo iudicio, & pro responsione aptius consideramus, q̃ iste consensus in latere dextro, non est certus in ratione venæ capitis, sed ratione proximitatis, quam habet cum vena basilica eiusdem, & ita pluries visum est venam cefalicam è vena axilari oriri.

QVAESTIO IIII.

Vtrùm potus aquæ frigidæ competat in inflamamtione iecoris.

IACHINVS vnus solus neotericorum disputat quæstionem hanc, tam obscure, & arroganter, vt solum secum videatur agere disputationem, quod turpe est, potissimum Medicis, quia cum in his de re seria agatur, omnibus pateat est necesse, quid sit agendum. Quod autem cõueniat ex eo colligitur quia in iecore sua multa humorũ pro lubie, non solum timenda est inflãmationis augmentatio, sed timenda est reliquarum partium noxa: sed ista omnia præpediuntur ex potu aquæ frigidæ. Præterea inter remedia maxima istud commodius censetur, libro. 9. Metho. cap. 5. quòd solet substituere sanguinis missioni: ergo quibus præ timore sanguis non extractus est, his potus

aquæ conuenit:& ita colligitur ex Galen.lib.10.Metho. capit.6.vt ſuperius titul.de ventriculo diximus.

His tamen non obſtãtibus cum Galen.cenſendum eſt, potum aquæ non conuenire in inflammatione iecoris: quia prohibet tranſitum per expurgatoria à natura deſtinata,& ita concedit Galen.libr.9.Metho. capit.5. ſi tamen Galen.lib. 10. Meth. id concedit,euitando maius malum, videlicet Maraſmum qui in duobus caſibus timetur in natura ſicca bilioſa, quam ſæpè appellat caninam, & in his quibus, ſi phlegmone ad eriſipelatis naturam tendit, dignoſcitur ab authoribus grauiſsimis,ſi cum reliquis ſignis, de tertio in tertium augeatur,vel ſi forſan ſanguinis miſsio præ timore vel in curia omiſſa fuit,potus etiam conuenit.

QVAESTIO Vnica.

De ſcirro iecoris,& de ſcirro lienis,& potiſsima eſt.

VTRVM in Scirro harum partium præcipuarum magis conueniant plus iuſto attenuãtia medicamenta libro. 2. de arte curatiua ad Glauc. cap. 4. in princ. negat impoſitionem horum medicamentorum, cum inquit, qui vtuntur medicamentis valde digerentibus ſperantes huiuſmodi tumorem minui, in curabilem reddunt. Eandem ſententiã fatetur Galen.lib.14. Metho.cap.12. Idem Fen.3.4. tract. 2.cap.4. idem Paulus lib.4.cap.32.vnde eſt, vt omnes authores in his affectibus vtantur medullis, & gummis, & omni genere medicamentorum emollientium.

Sed his clarè aduerſatur Galen. libr. 2. de arte curat. ad Glauconem cap.5.in med.vbi in ſcirro iecoris vtitur oleo de abſcinthio,oleo nardi, & ex glande vnguentaria. Præterea,

terea, quod magis est in eodem cap. 5. in princip. vtitur in scirro lienis medicamentis valde digerentibus, veluti radice caparri, radice lilij, miricæ: & quòd existimandum est, quòd in aceto ista decocta sint, vt magis, & vehementius operentur, sed hoc timorosum apparet, quia acetum inimicum lieni est. In qua difficultate duo sunt aperienda. Primum est quare in scirro iecoris calidis aliquantulum & non emollientibus, sed potius corroborantibus vtendum. Secundum est qua de causa in lienis scirro, potius valde dissipantibus, sit vtendum. Circa primum dices hanc dubitationem Galen. soluere lib. 11. Meth. cap. 15. ante fen. vbi docet partium præcipuarum semper est seruanda facultas, & nunquam dissoluenda, veluti facultas cerebri facultas ventriculi, &c. reliquarum verò partium, veluti lienis intestinorum, vesicæ vrinariæ potius laxantibus tractandat, & ita censet libro. 2. Aphor. 9. comment. exponens quòd partes fluxiles debent reddi, quando purgatio fieri debet, & ideo in scirro iecoris his corroborãtibus medicamentis vtendum, quia potius volumus facultatem iecoris seruare, quam in totum aduersus iecoris scirrum agere, sed cum prædictis medicamentis Galen. non erit inconueniens aliquod emolliens medicamentum in miscereri, vt voluit significare Auicen. 14. 3. tract. 3. c. 16. cum inquit, & oportet vt stipcitas, & aromaticatio, prædominantior sit quam linitio, quasi diceret in curatione ista semper ea quæ corroborant, & necessario aliquid medicamentorum ad miscendum esse, quæ habeant rationem emolliendi.

Ad secundum, ergo nos conuertendo, certè res dura videtur cum acetum sit inimicũ lieni, prosint medicamenta ei in aceto decocta. Dicendum est breuissimè à Galen. decocta fuisse, vt facilius penetrent, quoniam in partibus exterioribus admoueri debent, & ista valde calida si sint

semper

semper admiscenda cum rebus emollientibus: sic semper intelligendus Galen. libr. 2. de arte. vt cum medicamentis digerentibus emollientia miscerentur, in quorum mixtione aduerte maximè proficere medicamenta aromatica, vt vinum aromaticatum, oleum de spica, oleum balsami, vt refert Auicena loco allegato.

QVAESTIO Vnica.

De hictəritia competat phlebotomia.

SEQVITVR explicanda quæstio, vtrùm in hicteritia, cõpetat phlebotnmia, quæ quæstio, vt procedat aduerte, hic nos non loqui de hicteritia quæ fit ex obstructione vasis regij. Sed de ea, quæ fit ab inflammatione iecoris vel ex vitio, & ex obstructione lienis, quæ solet esse via ad elephantiasin. Nam in ea, quæ fit ex obstructione, non est locus disputationis, quia fit ex obstructione vasis regij: in qua alia via curatio mollienda est, ad reliquas, ergo species descendendo dubitatur. Vtrùm in Hicteritia ex inflammatione iecoris, & ex vitio lienis liceat sanguinem mittere. Prius disputandum est de bilioſa, quòd in bilioſa non competat videtur, quia quod superabundat est bilis, quæ deponenda est medicamento purganti, ex lib. 14. Metho. capit. 3. §. sed pro sanguinis missione, &c. idem libro de sanguinis missione cap. 16. probat Galen. idem lib. 2. de arte cap. 2. vnde illud Auicennicum super abundantem euacua, & postea minue & deducitur, ex eod. authore. 4. 1. cap. 20. aureo cum inquit caue ne ægrum perducas ad cholericorum ebullitionem, aut frigidorum cruditatem: si ergo in toto habitu corporis bilis consistit, est ipsamet ebullitio, & per consequens in ea sanguis extrahendus nõ est. Sed his non obstã

tibus

tibus est sententia omnium grauissimorũ authorum, qui defendũt necessario sanguinem esse mittendũ, sed cũ moderatione, nempe Matthæi de Gradi, qui docet cũ moderatione viribus constantibus esse extrahendũ sanguinem. Quia cum huiusmodi Hicterus sit morbus magnus, semper à sanguinis missione esse inchoandũ, iuxta illud Hippocr. lib. 4. de ratione victus in morbis acutis text. 20. in cuius sententiæ commentario Galenus tenet, in inflammationibus bilioſis inchoandum à sanguinis missione. Quid tamen dicendum sit in Hicteritia nigra ex obstructione lienis nihil ab authoribus dictum est, solum dignum scitu est, hanc passionem viam esse ad elephantiaticum morbum, quem lepram antiqui appellant Arabes: in hac ergo passione cum distinctione operandum esse existimant, nam si habitus totius corporis peruersus est, vt ad elephantiasim declinare videatur, tuto sanguinem mittere oportet: sin minus prius aliquo medicamento purganti vtendum, ita deducitur ex Galeno lib. 2. de arte curat. ad Glauconem capit. 13.

QVÆSTIO I.

De Hydrope.

DVBIVM est, vtrùm fluxus ventris conueniat in Hydrope, & quòd non competat. Primo deducitur ex Auicen. 14. 3. tract. 4. capit. 4. post med. & scias quod fluxus ventris in Hydrope nõ mortalis est fluxũ ventris, pmouere, nõ cõuenit deduciturq; ratione manifesta, nam qñ inferior venter laborat melius est reuellere & euacuare per vomitum, docente Galeno lib. 13. Metho. cap. 11. §. siquidem longissimè attentata fluxione parte, quod redundat reuellere. Sed his

non obstantibus expresse colligitur contrarium ex doctri na Hippocr.lib.6.Aphor.14. ab aqua inter cutem habito, si aqua per venas in ventrē defluat soluitur morbus, idem insinuat lib.7. Aphor.29. ex quibus locis talis constituitur syllogismus,quo magis vel maximè natura ducit, eodem itinere vergere oportet, sed natura leuatur ventris fluxu, ergo eodem medicum vti licet: quid ergo Hydropicis cō uenientius erit, quam ventrem soluere, potissimum cum alia euacuatione in ea non vti possimus. Et ita confirmat Rasius lib.7.continentis,de mente Hippocratis, sed consequens est, vt Auicennæ satisfaciamus, quia sibi repugnat in eod.tract.cap.de cura Hydropis,varij ergo authores,varia sentiunt,sed hac in re in sequenda sententia Matthæi de Gradi,dicentis,Auicennam intelligendum esse de euacuatione ventris existente virtute debili, secus est si possit tolerare, vnde infert quòd huiusmodi euacuatio semper noxia est in ascite,quia virtus horum debilis est,& non in Hipostarca, ascites enim est veluti hectica accidentalis, quia partes alimento priuantur,& apepsia laborant, atque in ijs affectibus fluxus ventris potius ruinam significat, ita voluit significare Hippocr. lib.5. Aphor.14. qui tabe molestantur si alui profluuio corripiantur moriuntur, & sic in ijs non conuenit purgatio nisi circa statum, vel in fine incrementi,quia sunt plus iusto debiles, aut quando debilitas maxima sentiatur.

QVÆSTIO II.

VTRVM in Hydropicis ex ascite, quando perueniunt ad curationem desperatam manualem, videlicet ad apertionem ventris sit facienda in initio, vel in fine morbi, pro qua quæstione aduerte, hoc iussum fuisse ab antiquis,vt docetur lib.6.Aphor.27. de qua euacuatione me-

ne meminit Auicen. loco allato. 14. 3. tract. 4. cap. allegato, quo suppositio fuerunt nonnulli, qui salua eorum pace licet fuerint acuti, non intelligentes veram huius affectus curationem, dixerunt, in principio faciendam esse, quorum fundamentum in eo innititur, quia in principio virtus fortis est, qua sic existente huiusmodi extremum remedium poterit sufferre, nam processu morbi languescit, & labefactatur, & ita insinuare videtur Hippoc. lib. 6. Aphorism. citato, quando dicebat si aqua in vniuersum exierit lethale, &c. quasi dixisset, si aqua exeat ab vstione in totũ moriuntur, quia eorum virtus resoluitur, sed in fine morbi nimis resoluta est virtus, ergo in eo tempore non conuenit sectio vel apertio, sed ista sententia non obstante verissima est sententia virorum doctissimorum, quòd curatio per chirurgiam debet fieri morbo iam in grauescente. Quòd primo deducitur ex Galeno lib. 12. Meth. cap. 7. vbi docet in morbis omnibus si possibile est incipiendum esse, à leuioribus, ergo ab huiusmodi remedio atroci non est incipiendum. Secundò deducitur ab experientia peritissimorum medicorum, qui prius remedia faciliora tentant, deinde grauiora procurant, sic fit in purulentis, in quibus magis timenda. Sed ad istam confirmandam opinionem, accedat Hippoc. in lib. de internis affectionibus, titu. 29. loco difficillimo sic inquit, si ergo videatur decidisse ab hepate ferro vri, eamque apparuerit locum vrito non vult Hippocrates, quòd huiusmodi affectio deuiet à iecore, quia impossibile est, quod contingat hydrops sine iecoris læsione, sed significat, quòd quando venter plus iusto intumescit, & superat ad situm lienis, vrenda hydrops est, ergo postquam inualuerit hydrops, necessariò debet fieri vstio, quis ergo poterit negare, quòd periculosioribus remedijs vtendum non sit, donec leuiora tententur, & ita Auicen. loco allato in cap. de curatione ascitis, dicit, si alia

cura non est possibilis, adurenda hydrops est, fundamento alterius opinionis, ita possumus satisfacere dicendo curationem per chirurgiam non esse exercendam debili existente ægro, sed modico robore virium constante, sed si quæras quo pacto iste modus chirurgiæ possit fieri cum artificio, & industria dicimus faciendam vstionem, vt paulatim aqua extrahatur, vt iubet Hippocr. loco allato, & libro 6. Aphor. prius ergo debet fieri obliqua, postea transuersa, propter diuersum situm musculorum abdominis, præterea quando fit necessario à ministris violenter versus inferiora abdomen trahatur, & tandem tenta cum albumine administretur, vt pro voluntate chirurgi aqua extrahatur, quam operationem omnes necesse est intelligant faciendam esse in vno latere, & non in medio propter membranam ex tendinibus musculorum factam.

QVAESTIO III.

De Hydropicis.

VTRVM lac Hydropicis conueniat, Aliabas in 11. titul. suæ praxis negat lactis vsum, quia frigidum est, & humidum, & omnes ferè species hydropis ab intemperie frigida oriantur: ergo non videtur lac in ijs conuenire. Tandem deducitur ab Hippocrate libr. 5. Aphoris. 64. vbi docet lac dare, quibus ilia suspensa murmurant, malum, id est ijs, quibus ilia plena flatibus existunt, sed ferè nulla est species hydropis, in qua non adsint flatus, ergo non exhibendum est lac. Auicenna vero in cap. allegato in prima quæstione expressè tenet, lac conuenire, cum inquit (reprehendens Sophistas sui temporis) & non respicias ad id, quod quidam dicunt, imo est lac valde iuuatiuum, propter id, quod est in eo de absterſione: dat tamen

lac

lac non singulis mane, sed bis, vel ter, per modum indicationis iuuantis & nocentis, de mente Rasis lib. 7. continentis, in qua quæstione conatur Matthæus de Gradi breuissimè satisfacere, quòd Auicenna non laudauit, quodcunq; lac, sed lac camelinum, vel asininum, & quòd sit enutritum herbis abstergentibus: sed pro maiori complemento possumus addere lac dari ab Auicenna, quodcunque: sed intelligitur potissimù in ascite, quia omnes partes apepsia, vel atrophia, id est defectu alimenti laborant, in ea, & vt aliquo modo natura possit restaurari, potest exhiberi, & hoc non debet esse crassæ consistentiæ sed alimenti facilis, & tenuis, siue sit caprinum, siue asininum, siue camelinum, ex quibus colligitur clarè, quòd serum, quòd aquã casei Barbari appellant, non conuenit in hydrope, tunc quia plus iusto infrigidat, & temperatiecur, tum etiam, quia quamuis serosos videatur educere humores, potius cum eisdem in corpore remanebit, quia quòd redundat in hydrope serum est, & fortius trahet debilius, & ita planè hallucinatur princeps Auicenna 14. 3. allegato, quando in hydrope serum propinat, valet authoritas Rasij, qui dat serum cum turbit, quia tunc non ratione sua, sed ratione alterius medicamenti admixti facit opus, & ita sentit AEtius tetrabibl. 1. sermone secundo, capit. 96. cum inquit, cum quis sero fortius conatur subducere semper medicamento aliquo fortiori admiscendum existimo. Præterea Galenus libro decimo. de simplicium medicamentorum facultatibus capit. primo, insinuat serum purgare bilem, ergo non educit humorem serosum, & per consequens serum hydrope affectis, non conuenit.

QVAESTIO Vnica.

De dolore lienis.

EXISTIT ergo difficultas maxima an in doloribus lienis cum medicamentis calidis liceat, immiscere adstringentia, cuius rei partem affirmatiuam comprobat Auicenna 1 5. 3. tract. 2. cap. 6. Cum inquit, & præstant aliquando stiptica cum calidis veluti plantaginem, & portulacam miscere, & Paulo inferius inquit, De his, quæ valde conferunt, est acetum, in quo infusum est capparrum, vel scolopendrium, & sequenti cap. 7. de cura generali inquit, & præstat in hoc maximè syrupus acetosus, quia quod crassum est attenuat, quod viscosum inscindit, quod tenue est, attemperat, & quod lentum est, attemperat, ergo licet admiscere adstringentia, cuius sententiæ contrarium sentit Galenus lib. 11. Metho. cap. 16. vbi solum laxantia in morbis lienis concedit, & primo deducitur, nam sicuti in iecore adstringentibus vtimur, vt pars princeps corroboretur, ita in liene, quia pars mõllis, & laxa est, & receptaculũ fæcis, crassi humoris, quę potius laxãtia desiderat emollientibus vtendũ. Secũdò deducitur, quia vt plurimũ lien per intestina purgatur, sed intestina laxantia desiderãt, ergo in doloribus lienis laxantibus, & minimè adstringẽtibus, vt in calidis, oleo violaceo, nenupharino in frigidis, camemalino, caperino & thamarino, maior huius consecutionis probatur à Galeno lib. 13. Methodi cap. 18. in princip. dicens, sicuti Iocinoris caua per intestina &c. minor patet per Galenum libr. 11. Methodi cap. 16. Idem confirmat Galenus de liene lib. 9. per locos. c. 2. huic quęstioni satisfacit Gale. lib. 11. Methodi cap. 16. paulò post medium, cum ita inquit, si vero æger ex ijs sit, qui multum atrabiliarij congerit re-

rit recrementi, vel ſuccus in eo abundet, neceſſe eſt, vt adſtringentia ijs admiſceas, ſin vero paucum vel nullum ſit, atiæ bilis excrementum omnino adſtringendum nō eſt, aut parciſsimè, ex qua Galeni ſententia facilè poſſumus colligere, quòd parcius adſtringentibus in liene vtendū ſit, & ſi aliquo vtendum acetum eſt, quod maximè conuenit, iuxta ſententiam Auicennæ loco allato.

QVAESTIO I.

De morbis inteſtinorum.

VTRVM in dolore renum præſtet habere magis ventrem vacuum, quam in dolore colico, vel iliaco, Auicenna 13. 3. tract. capit. 18. expreſsè docet, inter ſigna, quæ oſtendunt dolorem renis, quòd aſſumpto cibo fortificetur dolor, de colicó vero dolore expreſsè ſentit Auicenna, quia ſtatim aſſumpto cibo neceſſario ventriculus comprimit inteſtinum colon, huic quæſtioni facilis eſt reſponſio, magis cō ducibile eſſe habere ventrem vacuum in morbis inteſtinorum, quam in morbis renum, quia ventriculus immediatè cibis repletus non comprimit renes niſi quando ad inteſtina deſcenderint, non tamen præter rationem erit in vtraque paſsione ventrem habere vacuum, ex quibus ſi quæras an vomitus magis competat in vna paſsione, quā in reliqua, reſpondebis vomitum magis conferre in morbis renum, quia cauſa antecedens magis vrget, inteſtinis, gracilibus.

QVAESTIO II.

De Fluxu ventris.

VTRVM in fluxu ventris liceat promouere vacuationem, quæ ardua eſt, & difficilis, quam inter neotericos

tericos Mundelavir peritissimus exagitat in priuata epistola 12. ad modum epistolæ vbi expresse. Partem negatiuã defendit, quòd nullatenus nec in ventris fluxu, nec dyssenterícis, medicamentum purgans exhibendum, primo deducitur ex Gale. lib. 1. de arte curatiua ad Glauconem ca. 14. §. quibus venter fluit sufficit pro vacuatione: ergo in omni genere fluxus venter irritandus non est. Secundò deducitur ea potissimum ratione, quia vel fluxus ventris est symptomaticus, vel à natura tentatus, vel criticus, sed nec vnus, nec alter irritandus est. De symptomatico clarum est, quòd est compescendus ex lib. 4. Aphor. 2. de critico magis patet, per Galenum & Hippocratem libro. 1. Aphor. 20. illo quæ iudicantur &c. ergo in fluxu ventris non licet promouere vacuationem. Patet tertio potissimum in dyssenteria, quia omnis vacuatio debet fieri per loca conferentia, hoc est sana, sed in fluxu ventris dyssenterico locus sanus non est, ergo non licet promouere vacuationem in isto affectu, tandem confirmatur quia à loco læso semper deuiare cursum humorum debemus, ergo in hac passione potius ad loca contraria deuiare, & reuellere oportet, antecedens patet per Galenum lib. 13. Methodi cap. 11. in med. & illud melius in eodem casu colligitur ex Auicenna 16. 3. capit. generali de curatione fluxus ventris, dum docet, & in ijs melius est per sudorem minuere, & reuellere, vel per vomitũ reuellere, quam sententiam attendant obsecro curiosi, idem Auicenna confirmat 4. 1. cap. 7. in med. Dum inquit, quoties immoderata succedit vacuatio per fricationes alio natura diuertatur. Sed ex altera parte videtur quod sit promouenda vacuatio, & deducitur ea ratione communissima, quia in omnibus morbis vbi causa est, prius causa deponenda est, lib. artis medic. 89. Galen. lib. 4. Metho. cap. 6. ergo in fluxu ventris, qui à tantis causis suboritur, prius vna quæuis causa depo-

deponenda, nam aliquando à cerebro, aliquando à iecore, aliquando à liene, quandoque vero à toto corpore suboritur: & ita Auicen. 16.3. tract. 2. cap. 10. de fluxu opilatiuo docet ex noxa timendum à restrictiuis, idem affert in eodem tract. cap. 9. de fluxu cerebrali, in eodem sensu intelligitur sententia Auicennæ eodem tract. cap. de cholirica passione, cum inquit, & fluxus fluxum curat, propter quam causam Galenus lib. 7. per locos purgat cum Hiera sua dyssentericos. Tandem Auicen. loco allato, tract. 2. capit. 2. de fluxu omnium modorum purgat diuersimodè in ratione causæ fluxus, ergo saltim ratione causæ vacuandum est in fluxu ventris, huic quæstioni aliquibus conclusionibus satisfaciendum. Prima conclusio si ventris constet in fluxibus intestinorum sine vlcere medicamento conuenienti purgandum, si corpus cachochimicum sit. Secunda cõclusio eodem casu existenti in dyssenteria mitiori & corroboranti medicamento purganti vtendum, potissimum si cachochimia & varietas humorum appareat. Ita sentit Auicen. 16.3. tract. 2. capit. 3. in quibus casibus cũ mirabolanis & rha purgat, & ita de hac quæstione.

QVÆSTIO III.

VTRVM vomitus in his conueniat breuis & difficillima quæstio est, quod non competat, videtur ex eo quia vt plurimum hi morbi dependent ex abundanti materia in intestinis contenta, sed tales euacuandi sunt per inferiora, ergo necessario per inferiora purgandi sunt in fluxibus ventris ægri: minorem probat Galenus libro. 4. Aphoris. 12. post med. §. earum, quæ in summa parte hærent &c. Et idem Hippocrates licet obscurè videtur confirmare in lib. 4. Aphor. 12. cum inquit in læuitatibus intestinorum hyberno tempore supra purgari malum, vbi

animaduertendum est in tali passione cum ex vitio ventriculi suboriatur timendam esse euacuationem per superiora. Sed ijs tamen non obstantibus dicendum, aliquando in ijs competere vomitum, in quibusdam casibus, primo quando est redundantia bilis pallidę, secundo quando pituita fluxibilis in ventriculo redundat si potissimum à capite vel ab alijs partibus supernis concidat, & multò magis si æstate fiat, quam sententiam probat Auicenna loco allato, & Rasius lib. 9. ad Almansorem cap. de fluxu ventris. §. si humor fuerit lubrificans & idem Auicenna 16. 3. tract. 2. cap. 5. cap. de lubricitate cum dicebat, & administretur vomitus in omni septimana his omnibus adde si in hoc casu facilis sit æger ad vomendum & nauseabundus sit, de qua licet tibi exactissimum campum videre apud Matthæum de Gradi lib. 9. ad Almansorem, cap. de fluxibus ventris quæstione secunda.

QVAESTIO IIII.

Difficultas est.

VTRVM in dyssenteria biliosa competat lac, nam quòd in fluxu simplici intestinorum non competat clara res est, ex Galeno & Hippocrate lib. 5. Aphor. 64. Sed an in vlcere competat difficilis quæstio. Nam huiusmodi vlcus potest suboriri ex de fluxu humorum biliosorum, & in ijs non competit, quia auget causam vlceris: item potest accidere cum febre, in qua non competit lac, teste Hippocrate loco allato, & AEtio tetrabibl. 3. sermone 1. cap. 4. §. lac transactis tribus diebus conuenit, permittentibus febribus, quasi dixerit, si febris permiserit lac offerendum, sed ferè rarò vlcus confirmatum intestinorum reperiri potest sine febre, ergo ferè nunquam competit in

vlceri-

vlceribus inteſtinorum. Sed pro parte affirmatiua, quod competat exhibitio lactis per os (de qua exhibitione in præſentiarum loquimur) conſtat ex Galeno lib. 3. de alimentorum facultatibus. c. 19. de lacte, conſtat ex lib. 10. de Simplicium medicamentorum facultatibus cap. proprio de lacte, quibus locis exacte commendat vſum lactis in dyſſentericis paſsionibus & iſtam partem tenentur Medici obſeruare & defendere potiſsimum quando vlcus eſt in inteſtinis gracilibus in qua difficultate ſolum attendendum eſt, quo pacto in dyſſenteria exiſtente febre poſsit exhiberi lac, nam non exiſtenti dari debet præparatum, vt poſtea dicemus. Cui obſeruationi prudenter licet audacius reſpondet Tralianus lib. 8. cap. 7. titul. de lacte præparati, ſi præparetur ſuo modo, poteſt exhiberi, videlicet poſt tres dies ſine melle addita quarta parte aquæ pluuialis, & cocto cum ſaxis & in primis, tribus diebus parum, dequoquatur ijs tranſactis ad dimidium dequoquetur, cuius præparationis cauſam inſinuat Galen. libr. 3. de alimentorum facultatibus, cap. proprio, quia caſeoſum remanet, & butyroſa pars conſumitur. Et ita Galen. eo loci ſubinſinuat febrientibus poſſe concedi, & dyſſentericis quantumuis ab humore bilioſo proueniat, quia vtrumque attemperat: & ita AEtius loco citato paulò inferius inſinuat, ſi tamen iſto prolixo modo non præparetur, non exhibeatur.

QVÆSTIO V.

De dyſſenteria vtrùm pro vlceribus inteſtinorum corroſiua medicamenta competant.

QVANDO vlcera in inteſtinis gracilibus, & craſsis cõtingere poſſunt, quorum diſtincta & priuata ſigna oſtendit AEtius tetrabibl. 3. ſermone 3. cap. 45. & per

diuersam regionem immediatius expoſcunt auxilia, quia quæ ſunt in craſsis per Clyſteres magis, quæ ſunt inſtenuibus peros, iuxta ſententiam Galeni, lib. 5. Methodi cap. 11. §. nanque vicina ſunt ventriculo. Et idem lib. 4. Methodi. idem lib. 13. Metho. cap. 17. & ſæpè aliàs. Quæritur vtrùm in vlceribus inteſtinorum craſſorum quando plus iuſto corroſiua ſunt, competant medicamenta, quæ Græci Epulotica appellant, nos exedentia, qualia ijs malignis vlceribus admoueri ſolent. Quod ijs medicamentis non liceat vti, colligitur ex communi indicatione Galeni lib. 4. Methodi cap. 7. circa princip. cum inquit ſanè cõmunis omnium partium internarum hæc eſt indicatio, vt eligantur ea medicamenta quæ animalis naturæ ſunt maximè familiaria, ſiue cibi, ſiue medicamenta ſint fugiantur huic contraria quanquam in ijs quæ foris ſunt, vlceribus innoxius horum vſus ſit æruginis æris vſti, cadmiæ pompholigis hæc igitur & ſimilia interioribus admouere non debent. Sed contrariam ſententiam huius proponit lib. 9. de compoſitione per locos cap. 5. vbi vtitur infuſis ex mente Iſidori per infuſa intelligit Clyſmata parata ex alumine auri pigmento, & multo calidioribus, ergo Galenus ſibi contradicit, & per conſequens in vlceribus inteſtinorum malignorum putridorumque his medicamentis poſſumus vti. Sed huic quæſtioni his concluſionibus poſſumus ſatisfacere. Prima concluſio in vlceribus inteſtinorũ craſſorum poſſumus vti medicamentis epuloticis, non per ſe ſolùm, ſed vino ſtiptico, vel aceto mixtis, vt probat Galenus libr. 9. per locos citato. Secunda concluſio etiam ſi vllum horum medicamentorum vlceribus malignis competat, nec eis eſt vtendum per ſe ſolis nec in immoderata quantitate, cuius concluſionis ratio ea eſt, nam quãuis in craſsis contingat vlcus facili negotio in immoderata quantitate exhibita enecare poterunt, quia ſunt venena toto genere.

Tertia

Tertia concluſio eſt, vt ſolum hæc medicamenta applicentur in vlceribus inteſtinorum craſſorum inferiorum potiſsimum ſi conſiſtant in recto inteſtino, vnam & alteram concluſionem probat Raſius lib. 8. continentis capit. proprio, vbi docet clyſteria pro his caſibus debent fieri iuxta virtutem patientis, & ſenſum, atque neceſsitatem penſitata quantitate, ex quibus omnibus colligetur timoroſa eſſe clyſteria Galen. ex mente Iſidori, quia plus iuſto fortiſsima ſunt, in vſu tñ ratione receptum eſt, eſt clyſma, ex vini ſtiptici debita & ſolita quãtitate additis j. vel i j. dragma vnguenti damaſceni, de quo vide Nicolaũ Maſſam capite de reiectis verendorum in morbo Gallico, reliquũ eſt, vt ſatisfaciamus locis Galeni ſibi maximè contradicentibus, dicendum ergo Galenum lib. 9. per locos cap. citato. Vſum fuiſſe epuloticis in inteſtino recto, quòd proximè diſtat à partibus exterioribus, duræ, craſſæ conſiſtentiæ, cuius cauſa facili negotio poterit ſufferre vim horum medicamentorum, & ijs adde horum medicamentorum vſum conuenire in hoc caſu præcipuè quotieſcunque maximus fluxus eſt virulentiæ qui nullis potuit cedere, & ita manet quæſtio ſoluta.

QVAESTIO Vltima.

De cucurbitularum vſu.

VTRVM cucurbitulæ in dyſſenteria competant, ſunt nonnulli, qui vtuntur in ijs paſsionibus cucurbitulis nulla adhibita diſtinctione, & cum ferè nullus ſit qui ex authoribus antiquis huius remedij adminiſtrationis fecerit mentionem, breuiter illud dicam, quid ſit tenendum, in dyſſenteria, hoc eſt in vlceratione inteſtinorum exigui momenti cenſeo remedium: quia cucurbitu-

la,nec vlcus inteſtini attingit,nec deuiare curſum naturæ poterit,nam auxilium, quod nec ſecundum rationem neque ab experientia conuenit eo non eſt vtendum ex Galeno paſsim lib.3. Methodi.c.9.non conuenit. Hoc auxilio vtendum tantum erit in fluxu hepatico vel lienoſo, quando ſine vlcere affligunt in quibus Auicen. 16.3. proprijs capitibus,tract.2. inſinuat reuulſiuis vtendum eſſe: tunc poſt vniuerſales vacuationes,non erit inconueniens in lienoſo,in hyppocondrio ſiniſtro, in hepatica in hyppocondrio dextro cucurbitulam affigere,quam doctrinam colliges in longis hemorragijs,ex lib.5. Methodi cap.3. vbi ſi exnare dextra fluat ſanguis in hyppondrio dextro, ſi ex ſiniſtra in hyppocondrio ſiniſtro applicandam cucurbitulam cenſet Galenus.

QVAESTIO I.

De morbis renum, & erit de lapide renum.

VTRVM pro curandis lapidibus renum, ſiue in renibus ſiue in vijs adſint, vtendum ſit medicamentis calidis frangentibus lapidem ſiue via curationis, ſiue per viam præcautionis. Gratia curationis vtẽdum vehementer calidis diureticis docet Auicen.18.3.tract.2. cap. 18. videlicet ſiſeleo, radice apij,petroſilino,pipere,nigro,& alijs ſexcentis medicamentis de quibus longiſsimas & impatibiles ille thuriſanus componit tabulas in ſuo libro artis medicinalis vltimo capite:& quòd ijs ſit vtendum,ex eo deducitur,quia materia generationis lapidis eſt frigida: ergo cum ſit vis, inſtruſa neceſſariò calidis medicamentis debet curari: nã cõminui & frangi lapis debet,ſed ij effectus p̃ſtari nõ poſſunt,

sunt, nisi à vehementer calidis, ergo calidis debet curari. Sed ferè omnes Græci authores in curatione lapidis renum, solum emollientibus aut parum calidis vtuntur, vt est decoctum maluarum, & altheæ, & horum aliqua, similia, vt fuit Paulus lib. 3. sui operis, cap. 45. & inter alia quæ commendat laudat auem, vel Auiculam, quæ minima est inter omnes aues, si integra cruda deuoretur, quam nostri caudam Remusam appellant. Itaque vel vtuntur temperatis, vel à proprietate conuenientibus. Et ita Galen. libr. de renum affectum dignotione & medicatione capit. 4. in princip. Vnde Galenus, vnum de duobus vult, vt deposita plenitudine vel cachochimia, aut potu aquæ frigidæ, vel si adhuc lapis insistat, medicamentis vtendum quæ lapidem comminuant, quæ tepidam facultatem habeant. Nam quæ calida plus iusto sunt diuretica, lapidem indurant, quia lapis habet calorem pro causa effectrice, & ita omissa sententia Arabum aliquorum istis duabus conclusionibus satisfaciendum est. Prima conclusio pro curatione lapidis renum, solum medicamentis temperate calidis, vt petroselino macedonico semine maluæ, Gliserhisa, parietaria & his similibus vtendum est: quæ vero extremæ calida sunt fugienda, vt probat Galen. nuper loco allato, quam conclusionem non solum probo authoritate Galeni, sed authoritate ipsius Auicennæ 18. 3. tract. 2. cap. 19. ante fin. cum inquit. Quare melius est, vt abstineatur à medicinis fortiter mouentibus, & administrentur clysteria lenia & medicamenta, quæ humectando lubrificent, & aliqua cerata his similia quia à calidis abstinendum est. Secunda conclusio, pro præseruatione lapidis renum omnino temperatis, vel frigidis vel his qualitatibus prædictis vel habentibus facultatem specificam frangendi lapidem, vtendum, vt farina hordei, cremor seminum frigidorum. Quam cõclusionem ex eo deduco, quia in præseruatione

maximè

maximè attendendum est causæ efficienti lapidem, quæ est calor à quo torre fit lapis, sed hic calor temperatis placari debet. Et ita Paulus loco allato, cap. 45. in secunda parte laudat potum aquæ tepidæ, si aut per acta digestione, aut summo mane assumatur, qui est singulare remediũ à medicis obseruandũ. Aliqui delitiarum gratia, & non sine vtilitate cũ saccharo cando assumunt: & ita sentire videtur Galen. lib. de renum affectuum dignotione & naturæ capit. 5. & 6. id tamen in cibo potu, atque in obseruatione sex rerũ non naturaliũ seruetur, & quod in hac re testari possum est, quod plurimos senes præseruaui tribus generibus remediorũ, primo vsu clysterium temperantiũ ex oleo violaceo cum iusculo carnium & saccharo, secundo assumptiõe cassiæ fistularis per certa interualla, tertio cũ ceratis & emplastri, & vnguento refrigeranti, Galen. vnguento rosaceo, & pauco sandalino, cum oleo citoneorum, & sic & merito aliqui Neoterici vsi sunt oleo citoneorum, quod cum sit diuriticum valde attemperat, & vires renum corroborat. Est etiam valde expertum per interualla assumere ac migdalata ex seminibus frigidis iam dictis, pro qua præseruatione cõmendetur doctrina Galen. lib. de renum affectuũ dignotione, c. 5. & 6. citatis.

QVAESTIO II.

De morbis Renum.

VTRVM in curatione morborum Renum liceat diuersionis gratia medicamenta purgantia exhibere robusta, & his vti non liceat, patet, quoniam omnia medicamenta purgantia potissimum electiua sunt diuretica, quæ non sunt exhibenda. Et id manifestè probat Galen. lib. 13. Metho. cap. 11. vnde quoties iste partes interiores

res Moguo morbo corripiuntur potius per vomitum humores occurrentes sunt deuiandi & reuellendi ac proinde ista sententia est defendenda & consilium sit tutissimum, vt minimè in misceantur medicamenta purgantia cum diureticis, & ita visus est insinuare Auicenna loco allato & de lapide vesicæ, si ergo aliquo modo per purgationem subueniendum, debet esse per vomitum, de qua Manardus loco citato.

QVAESTIO III.

VTRVM in diabetica passione competat purgatio AEtius tetrab. 3. serm. 3. c. 6. ibi docet quæ in diabetica passione infestant, & intrusa sunt prius vacuanda sunt, vt causa mali auferatur, sed altera ex parte videtur quod nõ cõpetat purgãs medicamẽtũ, quia vbi tanta euacuatio est, nõ est opus alia euacuatione nam in diabetica maximè & cito ad eximiã siccitatẽ trahuntur: ægri, quæ existenti ægro debili purgatio nõ cõpetit, idque egregiè colligitur ex Auic. 18. 3. tract. 2. c. 13. cum inquit & debilitas huius fit ex dilatione, quæ solum constructione curatur, cognoscitur ista dilatio ex calore in modico renum & totius temperamento, ergo quoties ab ista causa prouenit, non est dubium, quòd non competat medicamentũ purgans: & ideo Tralianus lib. 7. sui operis maximè commendabat clysterium emollientium vsum, & ciborũ saginatorum commistionẽ probat, ac proinde solum medicamentis educentibus benignis vtendum. Qua de causa timorosam censerem, euacuationem per phlegbotomiam, quicquid dicat AEtius nisi fiat in princip. & robustis ac tandem, in his qui bono suo consulendo de repente veneris vsum reliquerunt, & ita censet Donatus, Antonius capit. proprio. De diabetica passione.

QVAESTIO IIII.

VTRVM in vlceribus vesicæ cõpetat lac, AEtius tetrab.3.serm.cap.3. approbat lactis vsum, quia demulcet dolores, attemperat, & aglutinat. Sed altera ex parte clarè constat lac non posse competere, quia pars illa caseosa renes offendit, præterea vlcus ab humore acri & mordaci prouenit veluti bili vel pituita salsa, sed tales, nec pro sui expurgatione, nec p cõtẽperamẽto lac desiderãt, ergo lac in vlceribus vesicæ non competit. Præterea semper cum vlcere vesicæ vel scabiæ, adest febris, sed his nocet lac, ergo in his propinari non debet. In qua difficultate cum AEtio dicendum, lac in his conuenire nec post illud aliud secundum locum non obtinet, sed hac lege, vt prius habeatur cura febrium intermittentium, itaq; dum adsit febris, vt in superioribus diximus non competit lac. Cuius animalis lac in his competere debeat docet AEtius, & Alexander Tralianus, lib.9. sui operis cap.6. ad fin. videlicet asininum, quia tenuus est, & minus putrescit ex lib.7. Metho.cap.6. vel vacinum, quia etiam si crassius sit minus particeps partis caseosæ, & plurimum butyri habet, quod lenit dolores: & ita manet, difficultas soluta.

QVÆSTIO V.

AN in vlcere vesicæ competant statim medicamenta oppiata vel narcotica nã quod processu temporis competant nemini dubium est, quia cum hoc casu sit salus desperata, & ratione vigiliæ cito ad ianuas pulsat mors, curatione coacta, administranda veniunt. Sed an in principio competant, maximũ dubium est, quòd non debeant administrari ex eo patet, quia frigidis, vlceribus mordax, & inimicum, ex Hippocr. lib.5. Aphor.20. rigo-

res

res mouent, vnde febres subsequuntur, & alia multa quæ impediunt curationem. Præterea in omnibus morbis à leuioribus inchoandum est teste Galen. libro. 12. Metho. cap. 7. ergo ab his non est inchoandum. Probatur consequentia, ex eo quia huiusmodi medicamenta timorosa valde sunt, quia cum leniunt dolorem, auferre sensum à partibus solent, ex lib. 12. Metho. cap. 2. & sæpè aliàs, ergo ab his non est inchoandum. Et ex eo etiam potest deduci nam in vesicæ affectibus poterit fieri incontinentia, vrinæ, & excretio inuoluntaria: quia vsu istorum medicamentorum, eo quod vesica sensu priuetur, ergo ab his non est inchoandum. Sed his non obstantibus, quòd à medicis exequendum est breuiter dicetur, videlicet, in vlceribus vesicæ statim initio, nos posse vti imo à fortiori medicamentis narcoticis, sed eo modo refractis, vt iubet Galen. lib. 12. Meth. c. 1. ante fin. & Auice. 4. par. c. 30. prima pars istius propositi deducitur, quia quoties morbi incipiunt cum graui accidenti ad illud cura dirigenda est. sed instat grauissimus dolor, ergo iste dolor sedādus. Maior est, Galen. lib. 7. Metho. cap. 12. Et 12. metho. cap. 1. patet quia certissimum signum pathonomicũ vlceris vesicæ est grauissimus dolor, quem sedare tenentur Medici, tum propter ipsum symptoma, & propter vlceris instantiam, nam quanto magis acrescit dolor tanto magis augetur vlcus, ex augmento humiditatum ad vesicam acurrentium. Secũda pars nostri propositi, patet nam oportet sem per non nudis his medicamentis vti, ne partes offendat, sed fermentatis, ne frigiditate ipsa partes alterentur, vt affectum incurabilem in partibus relinquant, pro cuius debito vsu egregium & nunquam satis laudatum, est nobis medicamentum colirium album Rasis, & alia pleraque quæ maximè commendarunt omnes Græci potissimum Tralianus loco & cap. citatis ad finem. ¶ Ad argumenta

in cõtrariũ allata, ita poteris satisfacere primo argumẽto, quòd quamuis medicamenta sint frigida immiscentur cũ alijs medicamentis & in formam colirij quæ sunt admodum mulcebria, & quamuis statim offendant, quia dolor magnus vesicæ trahit ad se curationem ad ipsius medellam scopus dirigendus est, tanquam alterius accedentis, quòd solet prohibere curationem, ex lib. 12. Metho. citato. Secundo argumento possumus dicere, in hoc morbo non esse incipiendum à leuioribus, quia statim sæuus est & grauissimo accidenti annexus, & obid maximũ & præsto exposcit auxilium, ex Galen. lib. 5. Metho. ca. 12. in applicatione medicamenti, quod ex tapsia componitur, vt probat Galen. ibi.

QVAESTIO VI.

VTRVM in ardore vrinæ competant diuretica medicamenta, grauissima quæstio est, nam quod non competant ex eo patet, quia medicamenta diuretica calida sunt, & augent fluxionem ipsius, & Renum, intemperiem ad augent, quia sunt calida, teste Galen. libro. 3. de simpli. cap. 15. & sæpè alias, ergo non sunt administranda. Præterea colligitur authoritate Galen. lib. 13. Metho. cap. 11. vbi in morbis vrinæ nec medicamenta quæ vrinam prouocent, nec in morbis vteri ad ipsum medicamenta auocantia, non sunt propinanda, tandem constat, ex lib. 1. aphorism. Aphor. 21. inquit per loca conferentia administrandas esse vacuationes, sed in ardore vrinæ renes non conferunt, quia egrotant & destemperati sunt. Sed & illud confirmat Auicen. 19. 3. tract. 2. capit. 18. de diabetica post princip. cum inquit & de illis quæ oportet dimittere in ipso, est labor dorsi & assumptio diureticorum, sed ista passio fit propter maximum ardorem, & scandescen

tiam,

tiam, ergo & in ardore vrinæ oportet euitare diuretica. Sed pro parte opposita est text. Auicen. 19. 3. tract. 2. ca. 4. de ardore vrinæ, vbi inquit in ardore vrinæ si nec pus, nec vlcus, adsit, melius est, vt sit exturbatio vrinę cũ diureticis, ergo competunt diuretica, in qua quæstione crediderim simpliciter tenendum esse cum Conciliatore in differ. 25. vbi docet diuretica esse in duplici differentia, quædam sunt propriè diuretica calida qualitate acuta prædita, quæ sanguinem subtilianitia dicuntur talia, ergo calida sunt, ex Galen. lib. 5. de simpli. med. facul. c. 12. & cap. 13. alia vero in propriè diuretica dicta, vt quia frigida cum sint propter tenuem humiditatem mouent vrinam, & materiam in ipsis contentam quibus suppositis respondet Conciliator, solum diuretica frigida conuenire, quia quamuis moueant vrinam attemperant renes, quæ sola medicatio necessaria est, in tali passione talia medicamenta sunt semina frigida & amigdalata ex eis confecta oleum citoneocornm, nimpheæ, & alia multa à maioribus animaduersa, & vsus istorum medicamentorum placuit Auicennæ 19. 3. citato cap. de diabetica passione, cuius sententiæ fuit avthor Serapio, in suo Breuiario. In qua difficultate miror Matthæi de Gradi, qui simpliciter tenet nec vnum, nec alterum genus diureticorum competere, quia tam vnum, quam alterum medicamentum mouet plus iusto vrinam, & colligit ex sententia Rasij lib. 10. continentis cap. proprio, cum dicit dico. Quod noscas quod superabundantia vrinæ facit vlcera in vesica. Cui dicendum breuiter, hæc medicamenta mouere, sed non feroci impetu, & vsus horum debet esse moderatus, & sic Rasius dixit hãc noxam efficere, vsum diureticorum intelligendus de diureticis calidis, talia nõ solum vlcus, sed colliquationem integram mouent, nec tamen proinde sunt audiendi practici, qui in totum prohibent vsum alimentorum craſſæ

consistẽti, in his morbis, vt sunt extrema animalium agmilum, farrum, & alia pleraque, nam solo vsu horũ Auicenna in dictis capitibus de diabete, & ardore vrinæ bene curauit, & rectè succesit.

QVÆSTIO VII.

De mictu sanguinis.

DIsputant aliqui an in omni mictu sanguinis competat phlebotomia? cui difficultati respondent aliqui in omni mictu sanguinis competere phlebotomiam: & probant ea ratione communi, quia in magnis morbis magna remedia competunt, sed talis ista passio est fluxus sanguinis, ergo vtendum est venæ sectione. Maior nota est, ex lib. 1. Aphor. 6. minorem firmare possunt ex authoritate Galen. lib. 5. Metho. 3. vbi in omni fluxu sanguinis, partium interiorum iubet venæ sectionem esse faciendam, saltem apophoricatiuam, reuulsionis gratia. Secundò probatur, quia purgatio his nõ competit, quia plus iusto mouet, vt constat ex prædictis in quæst. 5. & 6. Quam sententiam viribus conatur refellere Matthæus de Gradi, libro 9. ad Almansorem cap. proprio, vbi tenet, cum Aliabate sanguinem in mictu, sanguinis non esse extrahendũ, nisi in priuatis & peculiaribus casibus, videlicet, in mictu sanguinis ex multitudine, vel ruptione, vel ex percussione, aut casu, & minimè in alijs. Sed salua pace tantorum authorum, potius censeo in omnibus esse consulendã istam vacuationem, & si adsit virium robur, videlicet copiosam cui virtus constat. Imbecillis vero, apophoricatiuam, quę potius reuellit, quam euacuat, vel saltem in pauca quantitate. Magnus morbus expostulat semper magna remedia, siue ex prædictis casibus adueniat, siue ex malitia corro-

sione,

ſione, vel vlcere proueniat, vel tandem ex langore contin gat. Quis ergo in fluxione ſanguinis ex pectore ſtatim ſan guinem non extrahit, quacunque ex cauſa proueniat, re-nes enim perpetuo attrahunt, & potius horum tractioni reſiſtere, quam illam augere oportet, & ideo ab his attra-here licet & reuellere.

QVÆSTIO Vnica.
De Priapiſmo.

VTRVM liceat vti nimis refrigerãtibus, ſal-tim torporem inducentibus, vacuatione, Ga len. lib. 14. Metho. 7. vtitur ſucco lactucæ, & ſucco ſolani, ergo his licet vti. Fit talis paſsio, ex Galeni ſententia loco allato ex ſpiritu calido maximũ dolorem in ferente, citra veneris appetitum, ex Traliano lib. 7. & Paulo lib. 3. capit. 37. huiuſmodi ſpiritum ſubito cõpeſcere licet, ne abruptio vaſorum ſequatur. Sed quod his non ſit vtendum ex eo patet, quia quando iſte ſpiritus flatulentus, non facilè diſsipatur antecedentia, ex eodem Galen. loco allato indiget medicamentis valde diſsipanti-bus, & digerentibus ergo calidis eſt vtendum, non tamen intenſè frigidis: quam ſententiam voluit ſequi Tralianus lib. 7. cap. 9. vbi docet non eſſe vtendum calidis, ſed modi ce diſsipantibus, ergo ſtupefacientibus non eſt vtendum. Sed his nõ obſtãtibus, dicendũ, præmiſſa vacuatione, vtẽ-dũ eſſe, & nos poſſe vti ſtupefaciẽtibus, ſed mixtis cũ mo dice diſsipantibus: quale medicamentum inſtituitur ab Alexandro loco citato, ex chamemalo. Aliter enim affe-ctum in curabilem relinquent, cum ſteriles homines red dant iſta medicamenta. Mixta tamen cum alijs, frenum imponunt, ictu violento ſpiritus calidi, & calorem com-peſcunt. Vnde inter reliqua quæ commendantur à Græ-

cis

cis authoribus est lauacrum, ex qua putei, media state vel in tempore calido.

QVAESTIO Vnica.

De dolore colico.

VTRVM in dolore colico sit statim incipiendum à medicamentis vehementioribus, pro parte affirmatiua pugnat, quia extrema remedia sunt applicanda, sed præ reliquis doloribus hic dolor vehemens symptoma est, ergo à fortioribus calidis inchoandum, & ideo Galen. lib. 12. Metho. cap. 7. & lib. 1. de arte cura. ad Glauconem capit. 14. inter accidentia sequissima collocauit, vnde & merito Galen. 5. Method. cap. 12. dicebat in morbis magnis, magnis remedijs inchoandum esse. Et ob id curatio coacta ista dicitur, quia non ordine fit, sed à maioribus incepit. Sed istis tamen non obstantibus tenendum est cum Galeno libr. 12. Method. cap. 7. à leuioribus esse inchoandum, quia cum hoc malum sit in vijs ductum, etiam si vehemens sit, à leuioribus inchoandum suadet, quia maior copia attrahitur, quam dissipatur. Et istud insinuabat Auicenna 16. 3. tract. 4. cap. 2. circa princip. cum dicit, & vehemens caliditas cum in intestinis accedit, non est securum, quòd sit illud, quòd ipsa mouetur de ventositate, vehemens enim calfactio, cum subito accidit maiorem copiã flatus excitat, quod dictum nõ est intelligendũ, vt aliqui existimabant, de quouis tempore ægritudinis, sed de principio morbi, quia postea oportet vti carminatiuis, quæ necessario debent esse calida. Et ita Gale. libr. 6. de locis vsus fuit oleo Rutaceo & extraxit plurimã quantitatem humoris victrei, atque sic debet fieri processus in dolore

dolore collico, in quo à leuioribus inchoandum est ne magis affectus impingatur, & augeatur.

QVAESTIO I.

De malis vterinis.

VTRVM in suppressione menstruorum sit secanda vena brachij, basilica, vel tali: in qua difficultate variæ sunt opiniones. Barbarorũ ergo expressa sententia est. Prius venam cubiti secandam esse, postea vero tali, vel maleoli, cuius opinionis prima ratio est, quia semper in principio cuiuscũq; morbi præsentis reuellendum est. Sed reuulsio fit in principio, ergo vena brachij in principio secanda est: maior mota est, ex Galen. lib. 13. Metho. cap. 5. §. vno crure laborante. & libr. de sanguinis missione. capit. 14. & lib. & capit. de reuulsione. Secunda ratio illorum est, quia quoties vterus ægrotat potius ab vtero reuellendum est, vt patet per eundem Galen. lib. 13. Metho. cap. 11. & elegautissimè capit. 2. ad Glauconem. sicuti si reliquæ partes aliquo morbo afficiũtur, quæ situm in inferioribus habent. Ergo obstructo vtero, si venam tali seces, potius obstructio venarum, vtiri magis impingetur, quia fit maior humorum præcipitatio, ergo vena brachij secanda est: in principio mestruorum suppressionis. Præterea si adsit plenitudo prius ista deponenda est plenitudo, sed plenitudo nulla alia via deponitur nisi per venam basilicam, ergo saltem prius vena in brachio secanda est. AEtius in hoc casu, tetrab. 4. serm. 1. cap. 7. Iubet venam secandam esse cubiti & tali. Sed si intimius veritatem & opinionem Galen. velimus inspicere, Galen. clarè sentit in hoc difficultate, venam tali vel poplitis secandam esse: quam sen-

tentiam fatetur expresse libr. de curan. ratione, per venæ sectionem cap. 11. vbi non solum admonet in menstruorum suppressione venam secandã esse tali, sed si quocunque tempore vena brachij, vel cubiti secetur in totũ menstrua supprimere. Quod innuebat Auicen. in 21. 3. ca. proprio de menstruorum suppressione. Quam sententiam Galeni, vt verius posimus defendere, quædam fundamenta prius supponenda sunt. Primum fundamentum, est facilius sanguis fluit per venam rectam, quam per venam obliquam, & facilius per venam latam, quam per venam angustam, & tandem melius ruit ad loca consueta quam ad insueta, & vt concludam, facilius ruit ad loca vicinia, quam ad loca distantia. Istud fundamentum varijs locis & diuersimodè probat Galen. libr. de sanguinis missione cap. 17. & 18. in princip. in qualibet reuulsiua vacuatione tres regiones considerandas esse, in quibus priuata vasa secanda esse, vt vera communio & cathicis seruetur, vt in affectibus supra ceruicem vena humeri secetur. In affectibus infra ceruicem vena cubiti, in passionibus vero infra renes vena tali, vel maleoli tundatur. Et ratio istius fundamenti in eo consistit, quia si aliter fierent vacuationes obscurè fierent, & sine aliqua vtilitate, & ferè nunquam fluxus ad partes læsas retardarent, docente fernelio. Quibus suppositis ista opinio probatur, quia ea vacuatio alicui morbo est necessaria: quæ potest reuellere per locum conuenientem, sed talis est, ex talo, ergo talis exercenda est, maior nota est, minor patet, quia hæc euacuatio reuellit ab vtero & euacuat à partibus proximis vteri, & per consequens talis euacuatio est administranda. Nec facit ad rem, quod opinio contraria proponebat magis aduocare ad partes vteri, quia venæ vteri angustæ sunt. Vena tali lata magis quam recta ad distantiorem regionem locata: & ob id reuellit & euacuat. Sed si aliquis

quærat,

quærat, de AEtij sententia quomodo sit intelligenda. Dicendum vel existente maxima plenitudine, & talis plenitudo non potest ita deponi veluti ex vena brachij: vel intelligi potest in febribus continuis, in quibus & si non sit magna plenitudo, ratio maxima cum febre habenda est, quæ non potest auferri, nisi vena brachij scindatur, & inde euenit, quod in his febribus, secta vena basilica, citiùs erumpant menses, in quo casu, Medici sibi consulant secandam esse venam brachij, non solum quia timeatur accursus humorum ex contrario ad infera, sed quoniam negotium cum febre est habendum: tali enim venæ sunt, particulares, quæ ad febres, vel alios morbos profligandos exigui sunt momenti: veluti venæ manus, vt refert Galenus lib. de curã. ratione, per sanguinis missionem, cap. 15. ad fin. Ad rationem quæ depromitur ex loco Galeni lib. 13. Meth. cap. 11. & ex alijs cõtextibus dicendum est, Galenum locutum fuisse de phlegmone, vel erisipellate vteri: est enim pars quæ pendet, & pondere quo grauat: in eas fiet maior attractio: & hac de causa, ex sententia omnium chirurgicorum in inflammatione partium verendarum, semper in principio secanda est vena brachij, vt in inflammatione vteri. Vt docet Paul. lib. 3. capit. proprio, & sæpè experientia obseruaui in inflammatione harum partium: si secetur vena tali in desperatam inflammationem peruenire & sæpè contingit in inflammationibus testiculorum, & scroti.

Sed in hac materia restat locus difficilimus explicandus, nam Galen. libr. de curandi ratione, per venæ sectionem cap. 18. cum inquit, tempus secandi venam non erit multum ante statum mensium tempus, sed vbi iam accesserit ex tribus, quatuor vè diebus consuetis mulieri circuitus, ante vertens, qui locus per difficilis est, nam si Galen. vult, vt solum intra quatuor dies fiat venæ sectio:

impedietur naturæ cursus, quia fluentibus mensibus, si fiat talis venæ sectio, omnino auferuntur menses, ergo si in tam proximo temporis spatio secetur vena tali, necessario motus naturæ impediretur: & ob hanc causam in fœminis in quibus non effluxere menstrua, per morbos nõ oportet secare venam tali, quia per multum tempus auferri solent, & ista nostra ratio patet communissima experientia, vt Medici non audeant per morbos venam secare, in mulieribus in quibus proximum tempus adest fluxus menstrualis, nisi adsit maxima necessitas alicuius morbi acuti, non alia de causa nisi propter timorem sistendi fluxum naturæ. Cui dubitationi breuis est solutio. Venæ sectionem faciendam eo modo, quo iubet Galen. & non præpedire menstrua, quia fit ad exercitandam naturam, cum fiat ex vena aliquantulum particulari, vt superius diximus & non copiosa, nam si copiosa fiat poterit fluxum auferre, & hactenus de hac quæstione.

QVÆSTIO II.

De profluuio muliebri.

VTRVM in profluuio muliebri quem profluium album appellant, diureticis sit vtendum? & quod sit diureticis vtendũ, primo deducitur, quia huiusmodi euacuatio est humoris infestantis eductio, & per locum conuenientem, quia fit per vterum, ex Galen. lib. 1. Aphor. 21. ergo vtendum est medicamentis eam augentibus, talia sunt diuretica, ergo in profluuio muliebri est vtendum diureticis, quæ iuuant eandem excretionẽ & purgationẽ. Quam sententiam probat Galenus libr. de præsagatione ad Posthumum, in quo casu docet post totius corporis euacuationem vtendum esse medicamento quod conficiebatur

ciebatur ex decocto asari & alijs similibus. Idem ex Auicenna 21.3.tract.3.cap. 24. §. & fricentur crura earum, & clysterizetur vterus cum oleis subtiliantibus, veluti cum oleo de spica, vel de piretro, sed talia sunt absterſiua, & nō solum vrinæ prouocatiua, sed ad ipsum vterum auocantia, quòd est maius inconueniens, ergo in hac passione vterum ipsum purgare conuenit medicamentis ad id conferentibus. Sed alia ex parte videtur, quòd his medicamētis non sit vtendum, quia Galen. ex mente medicorum rationalium in duabus indicationibus sitam curationem censebat in totius corporis & partis corroboratione. Et ita potest vacuationem: medicamentis sicantibus, & astringentibus vtitur, in eadem vxore Boetij. Præterea clarè videtur id confirmare Galen. lib. 13. Metho. cap. 11. qui inde bilitate & langore harum partium, non solum prohibet quæ menses & vrinam prouocent, sed purgantia medicamenta dissuadet. Et sic non erit præter, rationem si in hoc symptomate vteremur medicamento, euomente electiuo. Huic dubitatiōi conatur satisfacere Iachinus in lib. 9. ad Almansorem cap. proprio, vbi docet medicamenta, diuretica esse in duplici differentia, quædam sunt verè diuretica, de quibus lib. 5. de simplici medic. facult. capit. 13. Alia vero ex accidenti, quæ sunt frigida, licet moueant vrinas. Docet, primis nos posse vti, quia quanuis vrinas moueant, siccant propriè. Secundis, nō licere vti: sed ista responsio inualida est, & non est ad mentem Galen. quia medicamenta diuretica etiam si exsicent humiditates, fundunt & collicant attenuando, & hæc omnia menses mouent, aperiendo orificia venarum, per se, & non ex accidenti: præterea non est sic loquutus medicus, nam qvòd alicui inest de per se proprius illi, quàm agenti de per accidens, qua de re breuissimè censendum est, cum Auicenna 21. 3. citato solum in isto casu, duobus scopis

insistendum, vel tribus, in totius corporis vacuatione, postea diureticorum vsu, vltimo in vtero & partibus circunstantibus corroborandis, & ita fecit Galen. in vxore Boetij, in qua etiam aduertendum, peculiarem habuisse indicationem promouendi vrinam, quia in hydropem prona erat, in quo morbo tota meditatio medici est in vrinæ prouocatione, ac proinde iuxta sententiam Auicen. crederem, post vacuationē magis corroborātibus vtendū esse, siue per viā vteri infusis siue per exteriora admotis.

QVAESTIO III.

De morbo vterino celebris.

VTERINVS morbus cum propriè dicatur de strangulatu vteri, vt refert Galen. multis locis, quæritur vtrum competat sanguis missio, potissimum quando ex mensium retensione oritur? quæ difficultas nostra est, & licet in ea parum in moremur, nostræ supellectilis lucubrationes ostendemus, quòd non competat. Primo deducitur, quia in huiusmodi passione plus iusto facultas animalis est languida. Ergo in ea non cōpetit talis euacuatio: maior nota est, ex lib. 6. de locis cap. vltim. minor patet, ex Galen. lib. 9. Meth. cap. 10. §. has tres facultates seruare vitam seruare est, vna pereunte reliquas perire necesse est. Ergo si tam debilis facultas animalis est, cito trahet in consensum reliquas, & per consequens: si sanguis mittatur maxima ruina timebitur omnium virtutum. Secundò deducitur in strangulatis, ex sententia Galen. lib. 6. de locis capit. 5. maxima, frigiditas vteri est, ex frigidis humoribus, ibi inhærentibus. Sed existenti horum copia sanguis non est trahendus, ex Galen. lib. de curan. ratione, per sanguinis missionem. c. 9. & ex Auice. Fen. 41. cap. 20.

circa

circa princip. ergo in hoc morbo sanguis extrahendus non est. Et ita Galen. lib. 12. Metho. cap. 5. in his qui animo linquũt ex crudorum copia solũ frictionibus administrarat curationem. Vltimo confirmatur, ex Auicen. 21. 3. tracta. 4. cap. 16. & 17. vbi docet animi deliquium vniri cum vteri strangulatu. Ex altera parte videtur clarè confirmare oppositum Auicen. loco allato, cap. 18. vbi docet si præfocatio ex menstruorum obstructione proueniat, primo sanguis mittendus ex basilica, deinde ex saphena, quæ euacuatio reiterata timenda est, quia virtus debilis non suffert vnam vacuationem supra alteram, hanc sententiam Auicen. desumpsit ex Rasio. lib. 9. ad Almãsorem cap. de præfocatione matricis. Hæc sententia, primo deducitur, quia morbus magnus est: & per consequens indiget magno remedio. His adde, quòd causa eius est sanguinis retẽtio, ergo fluxu curabitur, & venæ sectione. Confirmatur, quia vteri strangulatio est epylepsia per consensum vteri, vt patet, ex Traliano, & Areteo, sed epylepsia modo præcatorio sanguinis missione curatur, teste Galen. Aphorismor. 47. 6. sectionis: ergo in hoc magis competit quando fit ex reduntia sanguinis, quæ magis superat in mulieribus, quã in viris: huic dubio breuiter possumus satisfacere. Primo in accessione, & paroxismo nõ est faciẽda phlebotomia, quia facultas animalis plus iusto occupata, & resoluta est, & si tunc sanguinem trahas, subito mors accidere solet, & ad fluorem emoraxia ineuitabilis prouenire poterit. Secunda conclusio, sanguis extrahatur, extra paroxismum, ex talo, dum modo ex retensione menstruorum oriatur, & si vires constent. In qua conclusione attende solum ex talo nos velle sanguinem extrahi, quia quæ fit ex brachio potius debilitat, & impedit, quàm cursum naturę moueat, qui solum omni via à medico procurandus est, & proinde, Auicen. & Rasius audatius locuti sunt propter-

virtu-

virtutis casum qui maximè fieri debet in hac ægritudine, qua distinctione relinquitur quæstio dissoluta & argumentis satisfactio.

QVAESTIO IIII.

De fluxu vteri immodico breuissima.

QVæritur vtrum succus plantaginis sit ex vsu in hoc morbo, quia ferè omnes Græci eo vtuntur in iecto per viam vteri, quo medicamento vtitur Galen. lib. 5. Meth. ca. 5. dum in genere disputat de hemorragia. Ad hunc vsum impense laudat AEtius tetrab. 4. secr. 1. ca. 63. qui non solum vtitur hoc medicamento in quouis profluuio, sed in profluuio qui accedit ex erroſsione. Sed in quauis erroſsione non competit medicamentum frigidum, ex Hippocr. libr. 5. Aphor. 20. sæpius à nobis allato, ergo eo non est vtendum. Præterea quæ valde frigida sunt vtero sunt inimica (lien, & vterus valde à frigidis offenduntur): sed huic breuiter possumus satisfacere cum Auicen. 21. 3. tract. 3. cap. 4. & de his quæ conferunt nulla est melior medicina ernogloſa, in acuto fluxu & calido, quasi diceret, tantum habere locum in fluxu menstruali calido, & acuto, & non in alio, certum est, quòd in quouis morbo solutionis continui prius intemperies quæ illum: cõcomittatur est corrigenda: plantago cum sit frigida intemperiem calidam corrigit & sua siccitate constringit, & vlcus sanat. Et ita AEtius in casu dicto non solum vtitur succo plantaginis, sed mixto cum medicamentis valde siccis, videlicet cum pastilis Mussæ, Andronis, cum acatia, & alijs similibus.

QVAE-

QVÆSTIO V.

De vteri mola.

DIFFICILIS huiusmodi morbi medella est, quã inter neotericos præ cæteris affert Valeriola lib. obseruationũ suarum. Prima obseruatione, milreris carnisiniæ, in quo morbo controuertentur est, an competat sanguinis missio, & si debet fieri ex qua vena debet administrari? & quod venæ sectio non competat, patet, quia nullus ferè Græcorum hac euacuatione vtitur, sed solum purgantibus, & emollientibus: & si aliquis dicat argumẽtum ab authoritate negatiua nõ esse alicuius momenti sat est, quod omnes mulieres quæ vteri mola tenentur, veluti de mortuæ apparent, quòd grauissimum indicium est consumptionis caloris, ac proinde minus competit venectio: quia fomentum caloris sanguis est, & thesaurus naturę: fit enim mola ex sanguine rudi, quem non potuit natura domare, nec limare, ad fœtus formationem, vt habet Hippoc. lib. de sterilibus, quod non accidit nisi ex inopia caloris, cum qua non conuenit sanguinis missio. Sed altera ex parte Auicen. 21. 3. tract. 2. cap. 20. §. sed in quibus conuenit sanguis mittendus est, qui textus egregiè à fulginate exprimitur, dicendo tantum vtilem hanc esse vacuationem in his in quibus apparet apparatus mittendi sanguinem, veluti, si bene colorata, vel rubri coloris sit. Et febris lenta per certum tempus concomittetur eam, si vero hæc signa remissa sint alia euacuatione est opus. Sunt enim plures molæ quæ repræsentant ipsam hydropem, vt refert AEtius tetrab. 4. citato, sed si debet fieri sanguinis missio ex qua vena debet fieri, omissis ambagibus, existimo in hoc casu faciendam esse ex talo: & ratio est, quia indicatio in curatione huius morbi, tota vergit ad prouocatio-

nem fœturæ menstruosæ, vel molæ, sed talis prouocatio exequitur ex venæ sectione, talis ergo facienda ex talo. Maior nota est, ex Auicen. 01. 3. cap. de extractione fœtus mortui, cap. de extractione secundarum, & omnes interpretes Auicenæ in eo loco id fatentur. Ac proinde parcat donatus, qui in sua praxi: nulla præhabita meditatione sanguinem extrahit ex vena basilica. Poterit enim fieri si talis venæ sectio fiat, quanuis prohibeat mollæ acrementu n vt in totum naturæ conatum compescamus, imo potius post euacuationes competentes necessarium est, cucurbitulis, & ligaturis vti, & emollientibus omnibus præcipitem faciamus molam, vt refert Auicen. loco allato.

QVAESTIO VI.

De rera & secundis extrahendis.

VTRVM si secundinæ non extrahantur necessario mors subsequi debeat? quæstio præsens est, & si magis partē theorices, quæ pronostica dicitur, respiciat, quia rara est eam in præsenti voluimus proponere: vt in his qui diu retinentur facilius remedium requiratur. Communis enim vulgi opinio est, vt si secundine non extrahantur, necessario mortem subsequi debere: communicant enim vapores malos, & tetros, docente Auicen. 22. 3. tract. 2. capit. 18. & sic experientia comprobari poterit. Nam multæ mulieres periclitantur, quibus secundæ extractæ nō sunt. Et ratio est, quia postquam priuantur officio nutriendi, fœturam putrescunt, & inde reliqua sequuntur. AEtius tamen tetrab. 4. serm. 4. cap. 24. in med. sentit, non esse periculosum etiam si secunda statim non extrahatur, cum inquit si vero sic non educta fuerit perturbari non oportet: intra paucos dies in saniem conuersæ putrefacta excedet,

quasi

quasi diceret non terreant medicos, grauissima accidentia, quæ sequuntur ex retentione secundarum, nam quando remedijs cõuenientibus non cedũt, ipsæ putrefactæ decidũt. Idem voluit significare Auicenna verbis oscuris 21. 3. tract. 2. capit. 16. citato, in med. in. §. de antiquis fuerunt, qui dixerunt oportere in mittere manum, sed est cura dolorosa, nam cum non egreditur ipsa post dies carminatur, & egreditur. Et ita clarè possumus defendere, non necessario subsequi mortem, si secunda non extrahatur: quòd si mors mulieribus subsequitur, forsan accidit propter temeritatem obstreticum, quam committunt, per manuum ingressum. Qua violentia non solum vulnerant vterum, sed ipsum inflammant, vnde mors subsequitur: & ita medicis peritissimis remaneat fixum hoc præceptum, vt remedijs factis pro secundinis extrahendis, minimè violentiam consulant, sed parturientium animum erigant: & hac de causa quæstionem hanc euentillauimus, vt sub ratione præsagij, verum curandi scopum attingamus. Circa quarum extractionem, attendant locum falsum, & perperam translatum Auicena à Bononiensi, loco citato, cum inquit Auicenna & in potu detur aqua rosarum recentum, qui locus, vt omnibus patet est falsus, quia ex eodem Auicenna potius emollientibus, & de obstrucentibus curari debet & extrahi secundina alius interpres vertit aqua cinerum, sed nec ista solutio placet, nisi aqua cinerum ex rebus emollientibus extrahatur, vt ex althea, vt ipse insinuebat Auicenna loco allato, & in eadem quæstione aduerte in nostram confirmationem, quod diebus mulieres fœturam mortuam afferant quæ multo magis timorosa est, quam secundarum retentio.

QVAESTIO VII.

De inflammatione vteri.

VTRVM inflammatione vteri sanguis mittendus sit ex talo, vel basilica? quòd cubiti vena sit secunda nõ indiget aliqua enodatione, quia vt potuimus succinte rei veritatem explicuimus in quæstione demensium suppresione, sed quia & inter ipsos Græcos authores manifestissima, est cõtradictio, nã Galen. lib. de sanguinis missione cap. 18. expresè tenet sanguinem detrahendum ex talo, vel poplite, cũ inquit qui vero vitia in vtero vel vesica solum iuuantur ex sectione venarum poplitis. Idem libr. 13. Metho. cap. 11. Contrarium tamen fatetur. Paulus lib. 3. cap. 64. AEtius tetrab. 4. citato, qui docent, in hac passione per initia secandam esse venam cubiti, quos authores conatur componere Donatus in sua praxi, dicens Galen. in loco citato seruauisse scopum deriuationis, & reuulsionis. Posteriores vero Græci, tantum considerarunt reuulsionem: quam resolutionem licet ipse non confirmet faciles nos possumus confirmare, per verba Pauli, quando inquit per initia venæ sectio ex basilica cõpetit, initio enim ex parte distãti facienda venæ sectio est, ac proinde ex brachio debet fieri. Secundo deducitur, quia Galen. libr. 13. Metho. cap. 11. paulò post inquit, sed si vterus & vesica laborent, minimè ea quæ menstrua prouocent, nec medicamenta qnæ vrinas moueant sunt exhibenda: sed venæ sectio ex talo prouocat menstrua, ergo in principio in inflammatione vteri non est secanda tali, sed cubiti vena. Talis tñ sententia licet omnibus appareat per nostrã confirmationem, legitima est, quia ad mentem Galen. nulla debet exerceri vacuatio in qua non fiat consensus cum parte læsa, vt latè explicuimus quæstione citata. Nam clarissi-

rissimum est nunquam Galen. secuisse in pleuritide in viris nisi venam cubiti, & non venam tali, etiam si vena tali longissimè distans sit, quam vena cubiti, ac proinde intelligerem Græcos posteriores aliud quid considerasse, vltra mentem Galeni, videlicet obseruationem & experientiam, quòd nunquam profecerint venæ sectiones in prædictis inflammationibus ex talo factis: vnde tamen ratio obseruationis dependeat, forsan ex priuata ratione anatomica depromitur, quia istæ partes inter reliquas, quæ in hoc situ sunt, sunt pendentes, à suis ligamentis, & non insistunt quemadmodum reliquæ partes. Cuius dependentiæ causa fit, vt in inflammationibus testiculorum maximè in principio iuuet venæ sectio ex cubiti vena. Nam qui in secarunt tali, in immensam inflammationem testiculum principio venam deduxere.

QVAESTIO VIII.

De vteri inflammatione & alia à priori.

QVAERITVR vtrum in hac inflãmatione prius vtendum sit medicamento purganti, vel fomentis quibus spiritus crassus attenuetur & cutis fiat rarefactio: quòd priùs fomentis sit vtendum patet per methodum Galen. lib. 14. Metho. cap. 7. vbi sic inquit, indicatio curationis communis omniũ est, vt quod præter naturã in loco continetur vacuetur, & spiritus crassi attenuatio subsequatur: vbi tantum vult Galen. habendam esse rationem affectus, & partis patientis, & viscerum quæ priuatis medicamentis corroborari debent. Patet etiam, quia ex eodem Galen. lib. 13. Metho. 11. his partibus laborantibus non est vtendum medicamento educente, vel subducente, quia fit ad vterum maior humorum præcipitatio. Sed his non

obstantibus verisima est opinio Hipp. lib. de natura muliebri, vbi docet. Vbi sic se habuerit, mulier purgans medicamentum deorsum bibendum dato, postea fomento adhibito aqua calida lauato. Ergo prius medicamento educenti vtendū est: & ratio deducitur, per Galen. lib. 8. Methodi capit. 4. cum inquit, quòd si his quæ obstructionem demunt vtaris ante totius corporis euacuationem, tantū ab est: vt obstructionem demas, vt maiorem fluxionem cōmoueas. Sed huic quæstioni satisfacit quidā neotericus dicendo duplicem esse inflationem vteri, quędam est ex causa primitiua & pro catartica aborta, videlicet ex nimia refrigeratione, in qua propter suos labores solent incidere mulieres, & ista non indiget expurgatione, quia quouis suffumigio dissipabitur. Altera est inflatio quæ ex abundantia humoris oritur, vel dispositione scirrosa, & talis indiget purganti medicamento, sed pace istius viri nihil dixit, quia exiguas noxas natura corrigit, & ista leuis refrigeratio nec curatiōe indiget, sed fomentis leuissimis, dissipabitur. Præterea nō percepit in quo cōsistat difficultas, videlicet, an medicamento vomenti, aut subducenti, sit vtendum: contrariatur Galen. expresse, quia lib. 13. Methodi capit. 11. vult in his partibus si laborent vomitu vacuandos: at Hippo. vult medicamento deorsum purganti vtendum esse. Pro cuius rei explicatione aduerte doctrinam Galen. libr. de præsagatione ad Posthumū: huiusmodi malum aut prouenire ex fluxu totius corporis, vel noxa in proprio vtero consistente, si solum in proprio vtero consistat, medicamento deorsum purganti, vtendum non est, sed vomente si vero ex toto vtero noxa communicetur humorū: educente pharmaco deorsum euacuatio est exercenda, quia tunc ex toto purgato, euacuationem vniuersali possumus vti, quę fit per locum communem.

QVAE-

QVÆSTIO IX.

De furore vteri exhortatio.

IN furore vteri hãc exhortationem voluimus facere, an sit calidis & siccis vtendum. Et quod his non sit vtendum patet, quia cum vehemens desiderium sit coheundi, ex caliditate & pruritu vteri ex sententia AEtij, potius præhabitis vacuationibus, frigidis vtendum. Quòd probatur, quia hæc affectio similis priapismo est, quæ licet non sit affectio calida in ista, vtimur medicamentis frigidis, vt patet per Galen. lib. 14. Metho. capit. 7. in fine. Sed alia ex parte obstat AEtius tetrab. 4. serm. 4. cap. 74. qui in fine capitis vtitur nitro & Affronitro. Alij vero posteriores vtuntur Aristolochia. Cui dubio dices in hac passione quædam applicari gratia attemperandi intemperiem vteri ad attemperandũ vterũ. Quibus vtendum est in principio. Alia vero admoueri ad extrahendum semen calidum, quod titilat, & vexat, & solet dementiam excitare. Et his non licet vti in principio, sed in fine & præsertim indilirãtibus: solent enim mulieres, quæ hoc affectu capiuntur delirare, & hoc confirmatur ex AEtio citato, cum inquit, & si lauacrum ex his componas, facili negotio aliquid licoris excurritur quo sedatur accidens.

QVÆSTIO X.

De vario mutu vteri.

VTRVM liceat in diuersis motibus vterinis quas tentat, ipsum manibus trahere ad locum pristinum talis quæstio dependet ex eo, quod debent Medici scire vterum ad varias corporis moueri sic partes, vt dixit Hippoc.

poc.lib.2. de morbis muliebribus,& lib.de natura muliebri,sæpè cum dixit si vterus ad iecur moueatur suffocationem comparat,si vero ad cerebrum nasum inflammat, si vero ad coxam claudicationem, si tamen ad vesicam suppressionem & difficultatē vrinæ cōciliat. Quibus suppositis clararesest tunc medicum artificium operaq; manuali vterum auocare debere, vt tanta mala non excitet, quod etiam insinuabat. Plato vt refert Galen.lib. 6. de locis cap. 6. qui appellabat animal vterum, quòd tantis motibus moueretur, & inde vetulæ arripuerunt ansam & occasionem, vt aduersus Medicos audeāt dicere diuersis varijsq; motibus vterum moueri & pugnant maximè cum habeant sua ex parte tantos authores. Cui dubitationi breuiter dicendum Hippoc. lapsum infantilem habuisse, circa hoc. Nam vterus non tantis motibus mouetur, nec tam longinque, sed sua communicatione diuersas partes opprimere halitibus & vaporibus, per neruos, per venas, per arterias solum modum strangulandi conciliat. Vt clarè Galen. insinuare videtur, loco citato, quis enim negare poterit impense vterum litigatum tam varia loca posse petere, qui dum fœturam continet solum Epigastrij regionem occupat, ergo impossibilis est eius accensus: qua de causa melius erit vt fomentis suffumigijs, præhabitis euacuationibus, curetur quā manu impirica aliquid dolorosum committere, vnde nouum malum subsequatur, nec deinceps Medici periti fidem mulierculis adhibeant, nec audeant scribere vterum ad occipicium ascendere, quod si Hippocr. id confirmare ausus est, forsan laconicis verbis vsus per accensum intellexit communicationem, & consensum, & si Galen. expressè non ausus fuerit Hippoc. re- rehendere, forsan, ne contumeliam tanto faceret viro & forsan tanquam reddiculum omni sit.

QVAE-

QVAESTIO Vnica.

De vtero gerentibus.

DE vtero gerentibus si aliquo morbo acuto corripiãtur, an venæ sectio ex basilica vel cephalica sit faciẽda, maxima dubitatio est, aliqui existimarunt, ex basilica: quia hæc est, quæ magis è directo solet affectiones cordis & iecoris prospicere, sed febres, continentes, quæ jn vasibus maioribus consistunt, circa has partes versantur, ergo semper ex basilica facienda venæ sectio est: & ita Galen. in morbis magni periculi existimabat, cito, tuto, & sine dolore à Medico operandum quidquid sit agendum lib. 14. Metho. cap. penultimo, sed citius noxa reponitur ex basilica, ergo ea est prius secanda. Præterea in iuuenculis solet contingere aborsus ex copia sanguinis, ex Auicenna 21.3.cap.de causis abortus, sed in his citius plethora deponitur ex basilica, ergo basilica secanda est. Antecedens adeo manifestum est, ex principio, vt quotidie contingat, & sæpè mihi obtigit, priuatim in vxore agricolę, quæ cum non solum bis, vel ter, abortum pateretur tertio & quinto mense, sine aliqua causa manifesta, ex meo consilio ille vena secta fuit tertio mense, & cum iterum quinto mense in toto corpore persentiret, grauitatem, iterum illi venam se cui, ex quibus vacuationibus adeo melius se habuit, vt ex vberatem admirandum, & pulchrum puerum non mense emiserit. Et nobis cum, bene factum, vt vsque in hodiernum diem nostri non obliuiscantur. Sed his uon obstantibus, cum quibusdam iudicarem faciendam esse phlebotomiam ex vena communi, & probatur è communi omnium ratione, quia nihil magis accelerat abortum: quam defectus nutrimenti, sed ista vena basili-

ca secta citius partes vtero gerentis & fœturæ innaniuntur, ergo non est secanda. Maior nota est, ex Galen. libr. 5. Aphorismorum 30. illo, mulieri vtero gerenti si sanguinis missio fiat, contingit abortus, Galen. in commentario reprehendit eos, qui in totum denegarunt sanguinis missionem: sed non laudat eos, qui non eligunt locum, vnde commodius fiat sanguinis missio. Ita etiam lib. 5. aphorism. 21. Et idem censet Cornel. Celsus libr. 2. capit. 10. cum dicebat existimauerunt antiqui, nec grauidas, nec pueros phlebotomandos esse, sed vsus aliud quotidie nobis ostendit, vt alias obseruationes addamus, ad quas curantis consiliū dirigi debet, istę autem obseruationes colliguntur, ex venæ commoditate & distantia, vena enim magis distans, eligenda est, quæ minus alteret fœtum, nec ipsi alimentum subtrahat. Et huius sententiæ fuit eruditus mercator in apendiculo quæstionis de venæ sectione in vtero gerētibus, pro morbo acuto: & ita infero nō quouis casu à Medicis tentandam hanc esse vacuationem, sed in morbo acuto, & potissimum primis mensibus, vt colligitur ex modo loquendi Hippoc. in superioribus sententijs allatis. Sed videtur huic nostræ doctrinæ obstare Aristot. libr. 4. de generat. anim. cap. 8. cum inquit, sed cum fœtus magis ac magis crescit, plus excrementi supereſt, absumiturque minus. Ex quo loco colligitur, quòd si fœtus quanto maior est minus absumit minori alimenti quantitate indiget, & per consequens maior fœtus magis, & melius poterit sufferre euacuationes: aliqui dicunt, Arist. intelligendum esse facta comparatione cum quantitate, quæ attrahitur: quia in posterioribus mensibus maxima quātitas attrahitur, & ideo videtur minus absumi. Sed ista solutio non displecet si assignaret causam, quare cum sit maior fœtus, magis alimenti supereſt, dicere possumus hoc non solum euenire, ex parte robustæ facultatis fœturæ, sed

ræ, sed ex parte facultatis mãmarum, quæ cum habeãt maximum consensum cum vtero propter venas ex regione vteri ascendentes, langores mala, affectus & cũ cõicant robur in vno sentitur, in altero malũ splendescit. Et ideo dixit Hipp. lib. 5. Aphor. 38. si mulier vtero gerenti de repente mãmæ gracilescant fit aborsus si dextra, fit aborsus maris, si siniſtra fit fœminæ abortitio.

QVÆSTIO Vnica.

De hæmorrhoidibus.

VTRVM antiquæ hæmorrhoides possint curari sine alterius permansione, vel absq; hoc, quòd vna relinquatur vt magna quæstio est. De qua neoterici locuti sunt, inter quos Valesius fuit qui lib. 8. contro. 6. eam elegantissimè disputat, & sic totum negotium illi referam: tanquã antiquo, & in controuersis quas ipse arripuit disputandas peritiori. Solum aduertendo, quòd Hippoc. lib. 6. Aphor. 12. intelligitur (quando inquit, si vna non seruetur, periculosum est, ne in hydropem transeat vel melancholiam) de his qui probum corporis habitum patiuntur, aut alicuius partis videlicet iecoris, vel lienis, debilitatem habent. Talis enim per vnam hæmorrhoidum emanantem resarcitur. Et ita sentit Galen. in cõmẽt. & colligitur ex plurimis historijs Hippoc. libr. 1. & 3. epide, in quibus vrina nigra saluauit ægros: & si in his aliqua hæmorrhoidis appareat melius multo liberari poterant, & in his morbis, quartana, mania, siue leucophlegmatia, siue mania, hydropos, lienis obstructio, epilepsia: & sic inter autores grauissimos veluti apud Auicen. 1. 3. c. de melancholia, pro finali remedio habetur hęmorrhoidam prouocare, &

sic AEtius fallitur, dum sentit aliter vertendum esse Hippoc. loco allato, & ita sentit bene euacuato corpore, posse quemuis sanari absque hæmorrhoidibus: quæ doctrina nisi in corpore optimè sano locum non habet, & hactenus de hac quæstione.

QVÆSTIO I.

De Ischiade & coxendice.

EGREGIA quæstio est circa venæ sectionē in hoc morbo ex qua vena debeat fieri, Gale. lib. de venæ sectione, cap. 18. docet leuari hunc morbum facta venæ sectione ex poplite, vel ex talo, adeo vt dicat vna die plurimos sanasse facta venæ sectione tali, & ratio dictat, quia sicuti partes supra renes distantem habent consensum cum venis crurium, & ita partes infra renes distantem habent consensum cum venis brachiorum: ergo vena secanda cruris & non brachij. Idem colligitur ex Galen. lib. 13. Metho. cap. 5. cum inquit, vno crurium laborante reliquum scarificabis, ergo si coxa laboret vena secanda est poplitis. Contrarium confirmat AEtius tetrab. 3. serm. 4. cap. 1. vbi docet expresse multo maiorem vtilitatem in coxendicis affectibus sentiri, ex brachij venæ sectione, quàm ex ea quæ in cruribus secari solet. Idem Paulus lib. 3. cap. 77. sed non solum isti authores pugnant cum Græcis, sed ipse secum pugnat, nam libr. 10. de composi. per locos capit. 2. inquit, tanquam igitur maximum commodum sit, non solum per initia venam secare ex cruribus, sed ex cubito, in qua difficultate maximè & attentè locutus est Donatus Antonius ab Altomari, qui sentit in coxendicis veterato dolore si vires sufferant, sanguinem detrahendū esse ex talo,

talo, in recenti vero viribus haud quanquam robustis detrahendus est ex cubito. Sed quanuis acutè locutus fuerit non tetigit negotium, & rem: nam quanto dolor. Inueterator sit, tanto magis attrahet: sed quòd facit ad rem necessario explicandum est, quare Galen. lib. de sanguinis missione citato docet expressè eadem die plurimos sanasse ex sectione venæ tali, & lib. 10. per locos sentit prius venam secandam cubiti. Certum est, quod in his doloribus Galen. eadem die non fecit duas euacuationes, crediderim, ergo in tanta authorum cõtrouersia partes infra renes, & si omnes non sint ambiguę nihilominus iuuari ex venæ sectione facta in brachio, quia maior simpathia est, & consensus vasorum ab inferioribus ad supera, quàm vice versa, quod insinuabat, Galen. lib. 13. Metho. cap. 5. cum dicebat vno crurium laborante reliquum scarificabis, vel brachium: itaque licitum est medicum eligere pro diuersa temporis constitutione, pro maiori, & minori reuulsione, quanuis istarum venarum eligere & ratio istius est, nã venæ tali sunt venæ particulares, quæ non correspondent venis maioribus, sicuti cubiti venæ, quæ magis est directo correspondent, certum est, ita fieri reuulsionem in sectione venarum tali, in affectibus infra renes sicuti ex venis cubiti in affectibus superioribus, nisi ex conditione venarũ, aliud promanaret, vt superius in quęstione de menstruorum suppressione disputauimus. Sed altera difficultas in hac parte insurgit, quæ est veluti apendiculum istius quæstionis, ex qua vena tali debeat fieri venæ sectio an auena interna, vel externa, communis enim opinio est, vt in his affectibus fiat venæ sectio ex vena interna. Ita Hippo. lib. 2. de morbis titulo proprio de harum partium morbis inquit, secare vero interiora tales venæ communicant. Cum vasis maioribus, à quibus fit partitio horum vasorum, & AEtius loco allato propriè dicit faciendam esse venæ sectio-

ctionem ex interioribus, Rasius libr. 9. ad Almansorem, insinuat facta venæ sectione, ex cubitu eiusdem lateris postea secandā esse venam sciaticæ, vbi per venam sciaticam intelligunt exteriorem, vena enim interior tali saphena dicitur. Et ita insinuat Auicenna loco peculiari 2 2. 3. tract. 2. capit. 24. §. & scias quòd phlebotomia sciaticę venæ est magis iuuatiua, quam saphenæ, nisi sit dolor extensus ad partem sylueſtrem, quo loco clarè Auicenna insinuat distinctionē inter vtrasq; venas inferiores, aduertit tamen magis proficere venæ sectionem sciaticæ quam ex saphena: etiam si sint ramij ex vena interna vtriq; : sed consignat causam discriminis in eo consistere, quia sicut in ægritudinibus longis iecoris magis proficere solet venæ sectio ex saluatela, quam ex vena brachij. Eodem modo in his morbis se habet vena externa cum interna. In qua pensitatione non piget tantillum in morari cur venarum sectiones particularium soleant proficere in morbis longis, vt insinuat Galen. lib. de sanguinis missione, cap. 23. quauis capit, 14. exigue vtilitatis earum sectiones existimet. Huius ergo vtilitates causam sæpè in administratione anathomica exhibuit meritissimus noster professor Cosmus pastorius Methinna, dicens in eo consistere, quia cum in plurimo tempore pauca sanguinis quantitas extrahatur, fit maxima commotio, quam desiderant morbi longi pro sui exturbatione. Solent enim morbi cronici magnis perturbationibus sanari, vt quotidiana experientia nos docet, sed si quæras conciliationem Græcorum cum Arabibus, Auicen. citato loco excusat se ab huiusmodi conciliatione, dum dixit Galen. non attigisse, nec cognouisse talem vtilitatem.

QVAE-

QVÆSTIO II.

De morbo coxendicis.

VTRVM in hac passione vtilior vomitus sit subductione, grauissima quæstio est? nam à maioribus & antiquioribus habemus potius subductionem & euacuationem per aluum magis competere, testatur Hippoc. pro ratione regionis lib. 4. Aphor. aphor. 18. illo. supra præcordia dolores &c. & Aphor. 20. cum inquit non febricitantibus si tormina acciderint &c. genum grauitas & lumborum dolor purgatione per inferiora indiget. Præterea ratione naturæ humoris, nam in his morbis vel chiragra, vel podraga peccãt humores crassi, & lenti, qui indigent, vacuatione per inferiora imo sua natura, talem euacuationem expostulant, docente Hippo. & Galen. lib. 4. Aphor. 4. vbi in hyeme vetant supernas vacuationes, quia redundant eo tempore humores crassi & tenaces, & eãdem sententiam confirmat Hippoc. in superioribus sententijs, in quibus qui purgãdi sunt per superiora præcauet hyemem & qui per inferiora præcauit: æstatem, ergo in sciatica & coxendicis morbo, euacuatio per vomitũ non conducit. Sed experientia in contrarium instat, coxendicos iuuari vomitu. Ostendit Auicen. 22. 3. tract. 2. cap. 5. & capit. 7. & cap. 24. Cum inquit, & iam diximus, quòd vomitus magis iuuatiuus est, quam ventris solutio. Idem insinuat AEtius tetrab. 4. citato, cap. 1. cuius firmissimæ experientiæ ratio est, quia vomitus vacuatione non solum fit humoris eductio, sed fit vacuatio cum maxima violentia, qualem requirit humor intrusus in iuncturis, sic cõtingit in sternutamentis, vt morbi difficiles, quantumuis dicisi sint, à regione cerebri isto motu curentur, vt sunt morbi vterini, ex Hippo. lib. 4. Aphor. 35. & 45. ergo vomitus valde iuua

tiuus

tiuus est,& præstantior vacuatio. Idem confirmat Galen. libr. 10. de composi. secundum locos,cap.2. cum inquit, sed schiadicis auxiliatur magis vomitus. In qua controuersiã breuiter dicendum in sciatica magis conuenire vomitum,sed si vomitu non rectè succedat non cessandum do nec vtamur vacuatione per inferiorem ventrem,referente AEtio tetrab.4.vltim. sed quid dicendum sit Hippocr. locis citatis,breuiter dicendum,vel asserendum:cum Auicenna loco notato,in cap. 24. priuatam considerationem habendam in sciatica vtendum ijs esse, vomitu ne medicamento subducente maior fiat commotio, quia locus sciaticæ proximus est vijs per quas fit subductio, & hac de causa consulendus vomitus est in hac passione,non quem admodum aliqui faciũt præmissa subductione, sed cum prius vomitus reuellant,& conatu vomendi ex turbet, humores in sciatica contentos, post quem vomitum aduertant medicaturi hoc malum vt cum resoluentibus moderatè vtantur astringentibus,& siccis, corroborantibus medicamentis, authore Paulo loco citato in principio quæstionis.

QVÆSTIO I.

De morbis iuncturarum.

QVAERITVR vtrùm in his morbis liceat vti medicamentis purgãtibus fortioribus, quã quæstionem mouet Matthæus de Gradi libr. 9. ad Almansorem cap.proprio,Rasis ergo loco notato vtitur appocemate purgatiuo statim in principio, quòd legitimè componitur ex medicamentis quæ bilem & pituitam purgant, quam insinuationem seruant omnes Medici, periti, sed eandem sententiam confirmat Auicen.22.3.tract.2.cap.7. circa princip.cum inquit, & in cipe

cipe areforti, si non prohibeat maturatio crassitudinis materiei vbi irridet aliquot Medicos antiquiores, qui cõtrariam sententiã fatentur, vt fuit Serapio,& Auençoar, qui tenent expresse in morbis iuncturarum dimittendas esse medicinas fortes,quia non sunt securæ: quam sententiam videtur ipse Auicenna confirmare capit.8. in princip.loci citati,cum inquit,& non oportet, vt sit catarticum vehemens caliditatis,colliquat humores & fundit, ad iuncturas.Sed in principio vbi vrget,maior copia humorum fiet maior colliquatio,ergo eo tempore exhibendum nõ est. Grauis difficultas est, certè & istam sententiam cõfirmat AEtius tetrab.4.sermo.3.capit.3. vbi docet, in his morbis veluti in chiragra podraga vacuationes paulatinas esse promouendas,sed tales non fiunt medicamentis fortibus, ergo forti medicamento non est vtendum in his. In qua quæstiione, certè non solum aperienda est controuersia inter Auicennam & Serapionem, sed inter Auicennam cum seipso, proinde dicerem Auicennam per medicamentum forte cap.7.citato,intelligere fortè debile, vel in maxima quantitate,& viribus & facultatibus debile:quòd ex eo comprobari potest, quia Rasius instituit medicamentum ex mirabolanis, & his similibus in potione, & apozemate maximè quantitatis, clarum est quod Auicennã tam paucis lineis non sibi debet contradicere: ex cuius quæstionis dissolutione & conciliatione colligit Donatus circa vsum hermodactilorum quid sit tenendum: quam difficultatem mouet Abthomari in praxi, qui tenet hermodactilorum vsum suspectum esse, & medicamentorũ siue pillularum vel electariorum, in quibus hæc medicina recipitur,quia hermodactili quibus passim vtimur, nõ bene sunt hermodatili, sed colchici Græcorum quòd medicamentum strangulatiuum est, docente Dioscoride capit.proprio de colchico,sed ista sententia nõ obstãte quã-

uis suspectum medicamentum sit, credo nos posse vti eo loco hermodatilorum, probo ita inquit Dioscorides hæc medicamenta strãgulare siuia alimenti sumatur, secus est via medicamẽti, nam hac ratione correctum potest exhiberi. Præterea omnia genera vulbaceorum quæ vomitiua sunt nisi corrigantur, sunt strangulatiua. Vt clarè patet de Ornitogalo de hemenocalo, de Iacintho, de narciso, de satirionibus, in suis capitibus ex Dioscoride, ad quorum vsum priuatam insinuauit Dioscorides præparationem, & correctionem, vt habet Mesues in canonibus in teoromate secundo, qualis correctio paratur: cum medicamentis contra flatum vt salgemate, vel vino cincibere simul cum cortice citrij, talis autem præparatio fungorum generi ascribitur, veluti agarico, de quo plura capit. proprio ad inuenies. Sed qui securius voluerint subducere, consulerem: radice hemorocali vti, quæ non ita venenosa est, & eius subcedaneum egregium: vt tradit Stragius quem secutus est Leonicerus in Dioscoridem capit. proprio de colquico.

QVÆSTIO II.

De morbis iuncturarum.

VTRVM diuritica conueniant in morbis iuncturarum, in qua quæstione illud, prius supponendum à nobis, sermonem non haberi de doloribus à causa calida, quia augentur, & quod magis est morbos renales relinquunt: quia eorum frequenti vsu renes plus iusto alterantur, qua ergo de causa tantum de doloribus à causa frigida ortis disputandum est. Rasius lib. 9. ad Almansorem testatur, iuuari artriticos cum sani sunt diureticis, quòd eleganter confirmabat Auicen. 22. 3. capit. de solutione horum,

rum, cum dicebat, & fortasse iuuantur diureticis, & ratio est, quia deuertunt materiam, & eam consumunt, ne ad iuncturas accurrant. Sed altera ex parte videtur, quod in his non conueniant diuretica, quia sæpè Auicenna cap. 8. allegato loco dicebat, & de his quæ magis iuuare solent sunt stiptica, sed ista astringentia medicamenta maximè opponuntur diureticis, ergo diuretica omnino vitanda sunt. Propterea omnia quæ colliquant medicamenta, & quæ virtutem fundendi habent euitanda sunt, in morbis iuncturarum, ita dicebat aggregator medicinarum, sed diuretica sunt huiusmodi, ergo non cõueniunt in morbis iuncturarum: nec alia de causa alimenta optimæ concoctionis laudantur sine potus quantitate, nisi vteorum cursus euitentur. Præterea quæ substantiam friabilem naciscuntur vt acmiglum, farrum, & reliqua similia laudantur, eo quod succum generant adhærentem, nõ fluxilem, ergo nullo modo diuretica competunt. Qua ergo de causa solum vnica conclusione Gerardi satisfaciendum puto, raro diureticis vtendum, & si vtamur solum vacuato corpore cuius conclusionis ratio est, quia semper in his morbis & vt plurimum miscentur calidi humores cum frigidis, qui causant penetrationem, qui à prædictis medicamentis nunquã iuuantur. Præterea ipse Auicena voluit significare cum dixit, & forsan à diureticis iuuantur, quasi significaret fortuito & à casu posse iuuari diureticis.

QVAESTIO III.

Et penultima.

VTRVM in morbo articulari competat vinum potissimum in frigidis morbis, de quibus volumus vt hæc nostra disputatio intelligatur: vt superius diximus,

siquidem tantum prodest vini abstinentia, in calida artitride, vt Alexander Tralianus lib. 11. clarè fateatur ex tali abstinentia nunquam ægros reincidere in morbum articularem. De frigida, ergo artitride loquendo Auicenna 21.3.tract.2.capit.7. expressè concedit eis vinum, licet in pauca quantitate, AEtius tetrab.4.serm.4.cap. 83. vbi docet abstinendum à vino, præsertim nigro, si possibile est, sim minus fuluo vtendum est, in pauca quantitate, sed ex altera parte videtur non posse his vinum concedi. Inter plurima quæ neruos magis offendere solent vinum est, sed iuncturæ partes neruosæ sunt, ergo his vinum concedi non debet: & hinc est, quòd nec in Gallico morbo nec alijs similibus morbis vinum concedi possit: vires animales tentat, docente Galen. lib. 1. de sanit. tuenda. cap. quarto, & ita Auicenna loco notato ad finem capitis dicebat, & si possibile est à vino abstineat, vsquequo sanetur, & postea per quaternionē. Et tandem expressa confirmatur experiētia, senes leuatos fuisse & præseruatos ab hoc morbo qui omnino vino se abstinuerunt, & nec hoc magis in calida quā in frigida, quia vt superius diximus ferè nulla artritis reperitur, in qua calida materia cū frigida nō reperiatur mixta. Breuiter ergo existimarem in hac querela dicendum absolutè, nec in vna nec in altera artitride posse vinum proficere, nisi in plus iusto assuetis: quam doctrinam ex eo confirmamus, quia cum timore & graui præmeditatione antiqui concedere vinum inartritide, sed inassuetis, necessario aliquid condonandum, ne crudites augeātur quæ ad iuncturas facilè se se conuertant. Vnde Hippoc. in doloribus capitis grauissimis non cōcessit vinum nisi in assuetis lib. 3. de victus rat. in acutis 47.

SED adhuc insurgit maxima difficultas, quod vinum in his magis competat? an vinum nigrum, vel flauum, aut album? pro cuius quæstionis disputatione & meliori intelli-

telligentia aduerte, quinque differentias vinorum ab antiquis fuisse notatas, quas notat Galen. lib. 3. de victus ratione in acutis comment. 1, videlicet ex calore, ex gustu, ex consistentia, ex odore & ex virtute: & istæ omnes differentiæ in alias differentias partiri possunt, ex his ergo tantum ad nostrum propositum conducunt, differentiæ quę sumuntur ex colore, in quo hæc continentur differentiæ, scilicet album, nigrum, fuluum, flauum rubrum, apud nostrates vinum album tam dicitur de vino merè albo, quã de fuluo, & flauo, licet multum qualitate differant, nam merè album ad frigiditatem declinat, fuluum verò & flauum, calidissima sunt, ex lib. 12. Metho. cap. 5. & loco citato plurimis cõmentarijs. Quibus suppositis videtur quòd vinum album sit propinandum, probatur, quia maximè siccat per vias vrinæ euacuando, vt docet Hippoc. lib. 3. de victu acutorum, comment. 6. Idem confirmat AEtius tetrab. 3. serm. 4. cap. 33. cum inquit, vinum quam minimũ tenue & fuluum & non nigrum debet exhiberi, sed flauum & fuluum magis accedunt colore ad vina alba, ergo potius vinum album est propinandum, vel fuluum & non nigrum vel rubrum. Cuius sententiæ sunt omnes expositores Auicennæ loco allato, & interpretes Rasij lib. 9. ad Almansorem, cap. de morbis iuncturarum. Et probatur communissima experientia, quia artitrici, & podragi, maximè lęduntur vini albi vsu, & multo melius se habent vino nigro, & ita apud Hispanos pro risu habetur exhiberi vinum album, in omni morbo iuncturarum. Quid ergo tenendum sit in hac difficultate? dicendum breuiter est. Primò, vinum album antiquorum aliud esse à vino albo nostro, quod propriè album non est, sed fuluum, & valde penetrans, & calidum, & hoc in commodius est vino albo antiquiorũ, quia plus iusto penetrat, & ob istam causam in morbis iuncturarum non conuenit. Secundò

dicendum in nostra regione vinum quod maximè conuenit est vinum rubrum, clarum vel album, quod acerbum est, & non maximè nutrit, quod insinuat Manardus lib. 7. epistolarum, epist. 4. quòd si dicas AEtium vsum fuisse vino fulbo, vtitur in minima quantitate & in sua regione, aliud commodius vinum non reperiebatur, & eligit illud potius quam vinum nigrum crassum, & ita manet soluta ista quæstio.

QVÆSTIO Vltima.

Et noua inartritide.

VTRVM competat balneum, in quo medicamento integrum caput fecit, Auicen. 21. 3. tract. 2. cap. 14. quo capite ita inquit, Balneum aquæ calidæ, & humidæ non conuenit, quia plus iusto colliquat, melius est, vt sit calidæ & siccæ naturæ in quo aluminis, vel nitri, vel sulphuris, aliquid decoquatur, quo cap. voluit sentire Auicenna balnea introsa & aluminosa, vel sulphurea melioris condictionis esse, & magis proficere, quam sententiam confirmat AEtius tetrab. 3. sermo. 4. cap. 44. statim initio. Sed alia ex parte videtur, quod his non sit vtendum, quia semper vt diximus hic morbus miscellam habet vtriusq; humoris, & si ista balnea exsicent calorem ad augent. Præterea quod non conueniant ex eo colligitur, quia in his maximè oportet sedare dolorẽ, sed si sedatio doloris magis acquiritur balneis calidis & humidis, ergo eis vtendũ: sed breuius quo possimus hinc quęstioni satisfaciendũ his cõclusionibus. Prima conclusio in morbis iuncturarũ sine febre: præhabita totius corporis vacuatione, ex sententia AEtij, & Auicennæ loco notato balnea aluminosa, & sulphurea vtilia sunt, dummodo fricatione in eis vtamur, vt iun-

vt iuncturæ robur suscipiant. Secunda conclusio si adsit febris,& vehemens calor in his morbis sentiatur, sulphureum nec aluminosum balneum competit:istam conclusionem probat AEtius in eodem cap. circa med. cum inquit,quòd si Balneum non adsit eis qui acrioribus humoribus molestantur,aquam tepidam dulcissimam infundere est necesse, in quo capite breuis apparet contradictio, AEtius paulo superius dixerat bilioſis & gracilibus & cute nigra prædictis vtile balneum sulphureum esse intelligitur,si sine febræ laborent, & gutam non nimis calidam patiantur, quia in his, si febre non laborent arguit maiorem recessim in humiditatis. Tertia cõclusio, inartritide si fiat ex nodoso tumore & gipseo,minimè competit balneum sulphurium, vel aluminosum, aut introsum, quia eorum vsu magis impingitur morbus,& rebellior redditur,potius ergo balneum aquæ tepidæ conuenit, cuius doctrinæ ratio,ea potissima est, quia tumores scirrosi potius curantur humidioribus & moderate calidis, quàm medicamentis valde dissipantibus, ijs quòd tenue est facilè resoluitur, quòd lapideum & Gipseum magis induratur,probat Galen.lib.14.Metho.cap.6. probat libr. 2. de arte.cap.5.probat idem lib.5.de simpli.medi. cap.6. de curatione scirri, cum balnea sulphurea habeant facultatem dissipandi vehementem, merito in his non erunt ex vsu, cuius rei firmissimum argumentum habeo ex notissima experientia, nam quondam peritissimus noster Doctor Cosmus Methinna cũ iter pararet, ad inuisendũ dominum Alfonsum de Fonseca, in balneis Ledesmæ, quem concomitatus, quia eius vestigia perpetuo insequerer, forsan obtulit se ibi quædam monaca Auilensis quæ cum guta extofeis vexaretur ex iussu suorum medicorum,& quorundam Salmanticensium, placuit, & ingredi balnea prædicta, quam cum inspexissem gracilem satis pluri

mis

mis nodis in digitis scaturientem, rogauit vt meã illi mentem adaperirem, ego verò statim cõfugi ad nostrũ patronũ vt ab eo peteret, vt qñ illic fons medicinæ adesset vanũ videbatur si riuulũ cõsuluisset, sed illa adhuc instans magis ac magis, vt meã proferrem sententiã, animo iuuenili præcoci & nõ satis præmeditato consuli, vt balneum non assumeret, sed si possibile esset ne limites eius attingeret: quæ cum anxia redderetur monui, vt certius peteret cõsiliũ à nostro prædicto procero, & interueni quã citissimè, vt illã inuiseret, & visa ab eo monacha, funditus balneum denegauit cũ præmeditatione & præuisione mortis: quæ cum tam à longè præmeditasset viã & alijs imperitis astãtibus fidẽ magis adhiberet ingressa balneũ, in secundo ingressu à balneo ad superos se cõtulit, vbi ne nodi nec guta amplius illã molestarunt, aliã enarrassem historiã, ni lengentibus morosus essem, de sacerdote amico qui contra nostrũ decretũ balneũ assumeret in eodẽ casu, à balneorũ egressu in villa balneorũ mortuus est. Et tandem istã nostram sententiã cõfirmat Auicen. Fen. 21. 3. tract. 2. vbi docet, similes arthriticos nodosos curãdos ésse, medicamentis emollientibus, ex medulis, gũmis, quorũ syluam vberrimã reperies apud Galen. 2. de arte curan. ad Glauc. cap. citato. Cum qua difficultate in nostro primo tractatu mentionem fecimus, vt deinceps in simili casu medici, nõ audeant cõsulere balnea sulphurea vel aluminosa, quia eorũ animæ periclitabũtur & certè sine arrogãtia, illorũ vicem doleo, qui fuerũt in cõsilio prædictæ monachæ quorũ nomen taceo quia meritissimi fuerũt, & aliqñ Magistri, qui eo tẽpore cum essent aduersarij nõ penitendi professoris, si animo beneuolentia & vnanimiter associassent in suis cõsilijs, in tam grauissimũ errorem non incidissent, quorũ animæ requiescant cum dño, & ista nostra practica pias finem assequuta est.

SECVN-

SECVNDVS TRACTATVS DE FEBRIBVS.

Prima Quæstio, De febribus Ephimeris.

Vtrùm refrigeratis liceat sanguinem mittere.

PLVRIMIS contingit ex refrigeratione meatus corporis obstrui, & inde febrilem calorem accendi in humoribus. Hanc quæstionem disputat Valesius libr. 7. controuersiarũ 6. vbi tenet in refrigeratis absolutè, qui habitum refrigeratum sortiuntur, non esse sanguinem mittendum, secus se habet in his qui ex refrigerio febricitant, propter occlusionem meatuum. Primò modo intelligitur Galen. lib. de sanguinis missione 6. & secundo modo 8. Meth. 5. cap. 4. qua vsus distinctione grauissimus vir colophonem & coronam difficultati imposuit. Sed possumus his addere, si forsan refrigerati non sint dispositi vt transeant ab Ephimera in alias febres. Tantum ergo volumus intelligi euacuandos hos esse, quoties ex Ephimeris transitus est in febrem putridam, semper enim adæquata remedia inquirenda pro morborum curatione, præsertim pro morbis mitioribus, ex Galen. lib. 5. Metho. cap. 12. & lib. artis medicæ, cap. 89. libr. 7. Metho. cap. 3. §. pro eo quod exsuperat medicamentum metiendum est, febris ergo Ephimera ne transeat in putridam fricatio, vel aliqua pororũ apertio sufficit, vt medeatur. Præterea aduertendum in refrigeratis non solum sanguinem mittendum esse, sed in his refrigeratis quibus aliquod

symptoma superuenit efatu dignum, ad refrigerationem, veluti morbus attonitus qui potuit fieri, vt sanguis plurimus per refrigerationem cerebrum consopiret. Præterea, si forsan aliquod pectoris obruptum est vas, ex vehementi impetu refrigerij, in his licet sanguinem extrahere, licet apophoricatiue: & si febre putrida non defatigentur, testatur Galen. lib. 5. Metho. 3. & lib. eodem capit. 12. de iuuene quem misit ad tabias.

QVAESTIO II.

De febribus Ephimeris.

Vtrùm in febribus Ephimeris liceat vti aliquibus, medicamentis sudorem promouentibus.

QVOD sudore possint terminari febres & curari clara res est, quia ex sentẽtia Auic. 1. 4. trac. 1. de Ephimerarum terminatione loquens: dicit plures Ephimeras terminatas sudore fuisse, sed medicus tenetur imitari naturam quando à natura sudore terminantur, necesse est id medicus tutum insequatur, & sudores promoueat. Sed altera ex parte patet, febrem diariam non posse sudore curari, quia in ea nullus humor peccat, nec originem trahit, ab aliqua causa materiali, nec sudore potest terminari, nec curari. Cui quæstioni breuiter dicendum absolutè febrem Ephimeram non curari sudore, nec terminari, nisi ratione dispositionis subiecti, nam si corpus chacochimicum sit, ex accensione spirituum, fit humorum coliquatio, & humiditatum, & ex eo patet, quia talia corpora frequentissimè, frigore & horrore capiuntur, vt docet Galen. lib. 2. de sympto. cap. 5. Sed tales facilimè per sudores curantur, ergo tales dispositiones sudoribus facillimè curari possunt.

possunt. Vnde sequitur immerito quosdam logicos neotericos magis quam in medica scientia expertos perperam reprehendere Galen. libr. 8. Meth. cap. 5. quoniam in febribus Ephimeris balneis vtitur aquæ temperatæ: nam licet febres Ephimeræ non trahant ortum ab humoribus nihilominus sunt corpora neutra, & chachomica, quæ cũ facilè tententur à febribus propter cutis dispositionem ne cessario cutis reseranda est, & in meliorem conditionem reducenda, si fortasse per sanitatem integram balneis fuere assueta, quia facili negotio sudores promouentur.

QVAESTIO I.

De modo victitãdi in febribus cõtinuis.

QVAERITVR vtrum in febre cõtinua, vel continenti fructus veris, & æstatis conueniant: veluti sunt cerasa acria vel pyra assa, sutem ea, quæ sunt melioris conditionis: vt viridia prima quæ visuntur, aureata quæ pinticularia appellant, & inter pruna quædam damascena, vel monachorum, vel nigra, rotunda, quæ apud nostrates (Endrinæ) appellantur. In quorum fructuum vsu tanta increbuit consuetudo, vt procurandis febribus in fine veris, & toto tempore æstatis imprudens & parum versatus medicus sit, qui magnatibus hos fructus deneget. Sed quod nec his, nec alijs vtendum sit. Primo constat ratione communi, quæ desumitur ex Galen. lib. 1. de arte curatiua ad Glauco. capit. 8. & libr. 11. Metho. cap. 9. cum dicit, & in morbis acutis, qui non extenduntur vltra septimum exquisita victus ratio instituenda est, sorbitionibus, ex cremoris ptysanæ, ergo fructibus in febribus non est vtendum. Deducitur secundo ex sententia Galeni lib. 2. de alim. facultatib. cap. 2. vbi

docet fructus omnes exiguam habere facultatẽ refrigerãdi magis humectãdi, & quæ duræ cõsistentiæ sunt in flatũ cõuertuntur, quę verò humidioris sunt, facilè putrescunt: ergo neutiquam nec vnũ nec alterũ in febribus fructus cõueniũt. Tertiò deducitur ex præhibita cõditione vniuscuiusque fructus, vt ad pyra deueniamus quæ in multiplici genere continentur, docente Galeno lib. 2. de alim. facult. cap. 24. omnia docet Galenus in fine capitis ad differentiam malorum punicorum, copiosius præbere nutrimentum, sed ea, quæ sic copiosè nutriunt, non competunt in febribus continentibus, ergo vsque ad septimum diei finem pyra in morbis acutis non competunt: deducitur ex Plinio libr. 15. naturalis historiæ cap. 15. vbi docet omne pyrorum genus probum nutrimentum exhibere. Et ponderosum, & ægris omni modo negari, ergo non competunt. Et ista sententia confirmatur, quia si conualescentibus pira exhibeas, statim recidiuant, ergo non competũt, idem fert Gale. prodidit, de prunis, nisi quod paucum alimenti offerant, ergo clarè colligitur, nec ex mente antiquorum, nec ex mente neotericorum posse offerri fructus in febricitantibus. Sed altera ex parte vsus frequens exhibendi fructus confirmat eorum vsum securum, præsertim vbi magis vrget cibi fastidium, quod in omnibus morbis periculosum cum sit, solum ex oblatione horum appetitus restituitur, docente Plinio loco allegato, hac de causa in quæstione præsenti videndum, an fructuum exhibitio competat: & quibus fructibus sit vtendum? pro cuius maiori interpretatione notandum. Hos fructus exhiberi aut via alimenti, vel via medicamenti, via alimenti rarò exhibentur solum, nisi via medicamenti & alimenti, ita existimat Mundela libr. suarum Epistolarum 34. & ita insinuat Galen. libr. 2. de aliment. faculta. capit. de prunis. Quo suppositio breuiter huic quæstioni dicendũ, inter fru-

ter fructus pro febricitantibus nos posse exhibere pyra, licet non quæuis, sed quæ minora & magis odorata, dum modo cocta, vel assa exhibeantur, vt refert Plinius loco allato possumus nos vti cerasis acribus, quia attemperant, & ventrem corroborant. Datur facultas vt vtamur prunis, in quorum genere licet non sint apud nos quæ damascena dicuntur, sunt pruna nigra, rotunda, quorum caro ossibus inhæret, vt refert Galen. lib. 2. de facult. naturalib. cap. de prunis, reliquis vero fructibus in febricitantibus non datur licentia, vt eis vtamur, propter humiditatem eximiam, quæ facilè putredinem auget: quos fructus orarios appellant, Græci, de quibus omnibus Boerius lib. 11. de re cibaria longè disputat.

QVÆSTIO. II.

De febribus continuis.

AN in febribus cõtinuis liceat vti victu magis crasso in febrium principio. quam cum vrgent? quã quæstionem disputat Valesius lib. 8. controuers. 2. & inter loca contraria Hippocr. quæ ex varijs locis constant, facit compositionem egregiam videlicet Galeni cum Hippo. lib. 1. Aphor. multis locis, vbi dixit in statu cibandum partius intelligendum esse, ratione morbi, & temporis. lib. 1. de victus ratione in acutis 23. in æstatu dixit pleniorem quantitatem ptysanæ exhibendam, cum dixit si os madiscat, docet intelligendum esse ratione fluxus humorum, quia in pleuritide in principio fit maior fluxus humorum, quia fit ab inflammatione in qua principium penes fluxus humorum constituitur. Sed pace tanti viri non quadrat nobis ista solutio: nam eadem esset ratio cibandi in omnibus inflammationibus internis, videlicet in inflammatione

iecoris,& renũ,quod est cõtra Hipp.li.4. de victus ratiõe init.11.in quibus in statu partius cibandũ proinde melior est solutio,communis,quæ docet in pleuritide plenius cibandum in statu,quia non seruat materiam ad vnam criticam expulsionem,sed paulatim fit criticatio.Secus se habet in morbis seruantibus materiã ad vnam criticam expulsionem,& cum in morbis thoracis vnica sola sit termi natio per excreationem,quæ paulatim fit, ipso tumore diminuto, cibum licet adaugere: vnde Galen. lib.11. Meth. cap.17. volebat in morbis thoracis,cibis potius quam medicamentis esse indulgendum. Sed restat scrupulum cuiusdam Braquelij adaperire, qui defendit in principio minus cibandum: tum quia humores sunt crudi: tum quia crapula in primis vijs consistit. Respondes in his morbis, qui à crapula ortum duxere,primo & secundo die à cibo abstinendum:non quia in totum à cibo sit abstinendum. Sed quia facta collatione cum victu horum temporũ,minus cibetur,sed si more antiquorum cibaretur, non appareret tenuissima cibatio: vel dices cum Auicen. omnem crapulam innanitione curari,qualis in primis vijs cõsistit, & febres Ephimeras plurimorum dierum excitare solet.

QVÆSTIO I.

De pręparatione humorũ in febribus.

VTRVM inscindentibus, & attenuantibus debeamus vti perpetuo, pro præparatione humorũ? quam quęstionẽ ad aliã rem,quã sonat,trãsferũt,videlicet an fiat semper præparatio humorũ ante purgationẽ, quã difficultatem egregiè insinuat Manardus libr.13.Epistõ. sed q̃ quærimus vtrum tam in calidis,quam in frigidis præparatione

tione humorum sit vtendum. Attenuantibus & cindentitibus calidis? quod semper attenuantibus sit vtendum. Primo colligitur ex Galeno & Hipp. lib. 2. Aphor. 9. illo quicunque corpora voluerit purgare oportet fluxilia facere, sed corpus fluxile non potest fieri nisi calidis, quæ habent vim fluxillem, & laxandi ergo semper attenuãtibus vtendum. Idem confirmatur autoritate Galeni lib. 1. Aph. 24. de febribus, cum inquit verum in acutis eadem die vel secunda die nisi arripias occasionem dandi origani decoctũ vel tragorigani, sed in acutis non potest dari hoc decoctũ nisi gratia præparandi humorem, quia calida sunt, ergo in quibuscunq; morbis hoc decoctũ propinandũ gratia præparationis. Istud vero facultatem attenuandi, & concoquendi habet ergo tam in calidis, quam in frigidis pro præparatione humorum vtendum est attenuantibus. Idem confirmatur authoritate Galeni libr. 11. Methodi capit. 8. vbi recensens omnes modos præparationis: recensetattenuationem, incisionem, detersionem, vtpote detersio lentis, attenuatio crasis incisio viscidis, debeatur. Et ista omnia calido debentur, ergo semper calidis facienda est præparatio & elegantissime dixit Galen. libr. 10. Method. capit. 10.

QVÆSTIO. III.

De vini exhibitione.

VTRVM vinum in febribus exhiberi debeat, dubium est, omissa virtutis imbecillitate, in qua in febribus syncopatis debet exhiberi. Quæritur vtrũ in febribus sine aliquo accidenti possit ꝓpinari? in qua quæstiõe longissimè & cũ maxima verborũ elegantia loquutus est Mũdela in suis epistolis 12. Epistola, vbi pro huius ꝓpositi dissolu-

dissolutione aduertit contra multos medicos sui temporis arrogantes, in præsenti sermone nos non agere de vino nouo, trium mensium, quod & si magis frigidum appareat, corporis cruditatem mouet, dolores capitis, inflammationes, & crassos succos generat: sermo est de vino medio, quod in media ætate constitutum est secundum diuersarum regionum consuetudinem, de quo Galen. lib. 6. de compositione med. secundum locos, cap. de gargarienis inflammatione, & libr. 8. eiusdem operis passim, concludit iste perinsimus auctor, quod in vehementissimis febribus prorsus denegandum. In pituitosis non in totum, sed circa declinationem aliquid exhibendum quam sententiam possumus confirmare ex Galen. lib. 11. Meth. cap. 9. circa finem. cum inquit febri, si mediocris est, & vires non sunt admodum validæ, balneum & vini potio competit, qui locus maximè à medicis animaduertendus est. Sed in huius vini exhibitione plura sunt à nobis aduertenda: Primum quod vinum debeat propinari. Secundum vero si illud ad manum non sit quod fit eligendum. Circa primum cum plurimæ sint differentiæ vinorum apud antiquos, vt patet ex superioribus, quæ ex colore, sapore & substantiæ modo considerantur, circa colorem certè intellexerim esse eligendum album antiquorum, quod ipsi aquosum, communes debile appellant, id tantum apud antiquos cognitum fuit, quæ sententia expressa Galeni est eodem cap. 9 in princip. §. in hoc tempore si vinum aquosum in febribus putridis exhibebis, idque omnes vacuationes commouebit. Idem confirmat lib. 12. Meth. cap. 5. in fine, vbi docet, pro medicamentis digerentibus, vel loco ipsorum vinum aquosum, licet eodem cap. pro syncope correptis vinum generosum concedat, hoc intelligitur gratia alimenti, quia syncope correptis tali indigent alimento, quod citò syncopem reficiat, & spiritum recreet,

sed cum

sed cum apud nos aquosum vinum non reperiatur, quod sit eligendum clarè ex ipsis locis Galeni colligitur esse eligendum, quod exiguas vires habeat, tale autē vinū Toletanum, & debile est in genere, quod nec gypso conditur vel satis lymphatum ex longa mora commixtum, idque comprobatur ex lib. 7. Meth. cap. 6. in medio aquosum vinum voco, quod minimam aquæ partem sustinet, & ita manet soluta quæstio.

QVÆSTIO. IIII.

De exhibitione balnei aquæ dulcis.

QVAESTIO est an balneum aquæ dulcis cōpetat in febribus putridis? quā quæstionē disputat Conciliator in differen. 123. Mundela in Epistola 19. sed nos methodicè proponemus istam quæstionem. Pro parte affirmatiua est argumentum, quia balneum à toto corpore euacuat, veluti frictio, & dieta: sed tales vacuationes cōpetunt omni tempore: maior patet ex Galen. lib. 4. Aph. 2. Secundo deducitur, quia inter indicationes, quas summe facit Galenus est vna consuetudo, vt patet lib. 8. Meth. cap. vltimo. & mille locis: sed antiquitus balnea maximè in vsu erant, vt patet per Galen. lib. de sanitate, quia miras vtilitates comparabant. vt insinuat Plinius libr. 31. capit. 2. & Arist. lib. 16. probl. probl. 23. ergo in febribus, balnea aquæ dulcis competuut: consequutio patet per Galen. lib. 3. de victu acut. 6. cum inquit, lauandi aūt cupidos si bis, vel ter in die laues, non aberrabis, sed in prægressis sententijs loquitur in omni febrium putridarū euentu: tam in ijs, quæ ex aliquo humore putri, quam in ijs, quæ ab inflammatione ortum ducunt, ergo balneum aquæ dulcis in febre putrida conuenit. Sed, quod balneum non competat, patet

ex eo, quia balneum coliquat, & attenuat, ergo potius fundit humiditates per vniuersum corpus: vnde maximè dãnabat lib. 10. Meth. cap. 10. balnea in corporibus plenis. Dicendum ergo in præsenti difficultate, primo balnea aquæ dulcis maximè conuenire in febribus hecticis, & marasmodes, & in Ephimeris, quæ à causa procatartica ortum habent. Secundò dices balnea in febribus putridis conuenire, & maximè in febribus ardentissimis, ex quibus facilis transitus est ad hecticas, sed cum his conditionibus, toto corpore prius purgato, & vacuato, & apparentibus signis coctionis. Ita sentit Conciliator in differentia allegata, sed clarè insinuat Galenus libr. 11. Meth. cap. 16. in fin. & lib. 3. de vict. acut. cõm. 59. & idẽ lib. 8. Meth. cap. 4. Confirmat Galenus circa finem: vnde, & meritò libr. 1. de arte curat. ad Glauconem, cap. de tertiana iussit in tertianis febribus posse nos vti balneo prẽhabitis signis coctionis. Sed in hac difficultate illud aduertere oportet in vsu horum balneorum maximè optandam, & animaduertendam consuetudinem, videlicet, vt qui per febres balneandi sunt assueti sint lauacris, aliàs cum difficultate conueniunt. Et ita confirmat Hippoc. libr. 3. de victu acutorum 46. qua de causa Conciliator in differentia prædicta, tenet maximè nocere balnea his, qui non assueti sunt eis. In omnibus sua consuetudo requiritur, & ideo in Hispania periti medici parum assuescunt balneare ægros, quia ægri non sunt assueti. Antiquitus tamen apud Romanos frequens vsus balneorum erat: sunt & hodie in illis plura domicilia reperiuntur, in quibus Romani se immergebant. Sed pro nostro captu consulerem, vt in febribus biliosis, & si parum assueti sint, balneis, qui his febribus corripiuntur optimè posse vti, quia tota harum curatio maximè consistit in alteratione: vt refert Galenus libr. 1. de arte curat. cap. citato. Et in his causa &

sa & febris vnum, & idem remedium expoſcunt: vt refert Galenus libr. 10. Metho. capit. 1. balneum verò ſimul diſſoluit cauſam, & intemperiem aufert.

QVAESTIO. V.

De acidorum vſu, Noua.

VTRVM in febribus putridis per partem interiorẽ aſſumptis aſtringentibus liceat vti: eſt enim apud medicos frequens vſus horum veluti ſucco granatorum de acetoſa, de acetoſitate citri, & de roſis: quæ omnia manifeſtè aſtringunt. Quod hæc minimè competant in febribus putridis, conſtat ex Galeno lib. 1. de victu acuto. 18. in cõment. ad fin. cum inquit, nemo auſus fuerit aſtringentibus vti, niſi aliquod ſymptoma euenerit, prohibent eorum vacuationem, quæ febrem accendunt. Quod his nõ liceat vti, patet iſta demonſtratione, nam aut in febre putrida humores in totum putreſcunt, & tales omnino vacuationem deſiderant, teſte Galeno lib. 11. Meth. capit. 8. vel ſunt in via ad putredinem, ſed in his partim vacuatione, partim euentilatione vtendũ, ergo his non vtendũ eſſe docet Galen. lib. 11. Meth. cap. 4. & cap. 8. & melius lib. artis med. 89. ſed nec euentillari poſſunt aſtringentibus nec euacuari, & ita aſtringentibus in febribus putridis non eſt vtendum. Vnde Dioſcorides cap. proprio de malis granatis expreſsè condemnat vſum malorum granatorum in febrium putridarum euentu. Pro parte affirmatiua clarè cõſtat ex axiomate antiquo, quod contrarijs contraria medentur, ſed putrefactioni maximè aduerſantẽ, quæ ſtiptica & adſtringentia ſunt: quia aſtrictio fundatur in frigiditate & ſiccitate: putrefactio vero in calore, & humiditate verſatur: ergo in febribus putridis, quæ aſtringũt maximè cõuenire videntur. Cõfirmatur etiã, quia autoritate Gale. lib. 10.

de simpli.med.faculta.cap.de terra sigillata expressè concedit eam in febribus putridis, & pestilentibus. Tandem confirmatur ex communi omnium medicorum sententia, nam pro febribus tertianis malum granatum conuenit, quod laudat Galen.lib.5.Meth.cap.11.pro vlcere pulmonis in quibus vrget maxima corruptio, & malignitas: quam quæstionem longè magis, quam conueniat, disputat Mundela in suis Epistolis, Epistola 3. vt igitur ad pensum istam quæstionem componamus necesse est distinguere maximam esse differentiã inter medicamenta accida, acerba, & austera, siquidem quæ acerba & austera frigida, & sicca cum sint, ex lib.1. de simp.cap.4. sunt substantiæ terrestris, differũt ab accidis, quia tenuissimis partibus constant quędam, veluti est acetum, in quo manifestè partes calidæ sentiuntur, vt patet lib.1.de simpl.med.facult.capit.21, & sæpe. Quibus suppositis dicendum est controuersiam non versari circa medicamenta accida, quia cum sint tenuioris substantiæ, penetrant, cindunt & parum obturant, & simul penetrant attemperando: & ita Auicen.1.4.tract.2.capit.7. dixit de syrupo acetoso facere pro digestione vtriusque materiæ: & Galen.lib.8.Meth.cap.4. pro præparatiõe crudorũ succorũ laudat oximel siue ex sacharo, siue ex mele fiat, quæstio ergo versatur de austeris, & acerbis, de quorum vsu prorsus omnes peritiores detestãtur, & non sine causa inhabiles reddunt vias, per quas humores euacuandi sunt, & ita tenendũ est absolutè his medicamentis vtendum nõ esse, nisi aliquod graue accidens in febribus contingat huiusmodi, vel alui fluxus cum vlcere, vel vertigo pernitiosa, vel animi deliquium ex acursu humorum ad ventriculum calidorum, teste Galen.lib.12. Meth.cap.5.vel febris cũ purulentia, vel phthisi, vel febris maligna cum importuna nausea, vel vomitu, vt testatur Auicen.1.4.tract.2.capit.16.de vomitu, vbi vtitur spongia

aceto

aceto infusa ventriculo, admota: creber vsus etiam malorum citoneorum: quoties ergo talia accidentia cõtingunt quia sicuti alia curam sibi assiscunt, eis vrgentibus febris consideratio posponenda: quod si Galenus bolo armeno, smaragdo, & alijs astringentibus vsus est non in ratione astringentium, sed in consideratione facultatis alexitericæ qua pollent ista, aduersus malitiam humorum pestiferorum, qui varijs modis affligere solent.

QVAESTIO VI.

De modo vectitandi.

CVM ergo ad modum vectitandi tanta prudentia, & iudicio medicus constare debeat, vt Galenus docet lib. 8. Meth. cap. vltim. operæ pretium duximus in disputationem afferre: quo tempore citandi sint febricitantes, an inclinatione febris, vel adhuc ęgro calente? existimauerũt, ergo plurimi neoterici adhuc calente ægro nos posse exhibere alimentũ, tum propter febris remissionem, tum etiam, quia calor mansuetus inclinationis iuuat alimentorum coctionem, quam sententiã probant autoritate Hippoc. lib. 1. de victu acutorum. 46. Cõfirmant etiam istam sententiam, quia obseruare integrum tempus remissionis periculosum est, ne æger antea deficiat, quia solet aliquando febris ipsa protrahi per spatium 24. & 30. horarum in quibus periculosum est in totum à cibo abstinere, vnde merito Galenus diatritariam sectam totis viribus persecutus est lib. 10. Meth. ca. 4. & lib. 12. Meth. Sed his nõ obstãtibus censerem per febrium circuitus, siue in febribus continentibus, siue in intermittentibus toto tempore accessionis abstinendos esse ab alimentis, quod absolutè: dixit Hippoc. lib. 1. Aphor. 11. vbi prorsus in omni hora acces-

sionis & toto tempore abstinendum à cibo iubet, quam sententiam confirmat Hippoc. libr. 4. de victu acutorum, comment. 40. vbi in potionibus, & aliorum administratione maximè fugit accessionum instantiam, id ergo vocabulum Græcum ostendit Paraxismus, quasi irritatio, & vehementia, vt quia eo tempore maximè afflicta natura est & irritata ad alimenti concoctionem nõ oportet distrahere, cuius rei firmissima demonstratio traditur à Galeno libr. 4. de victu acutorum 4. citato. vbi docet, quod dum per viscera, & præcordia calor adest, nihil potest cõcoquere, sed corrumpere, quod si aliquando Galenus dixit calorem præter naturam concoquere intelligit ex suppositione, & potissimum circa cruditates quæ aliquando indigent calore præter naturam, vt dissoluantur, & exterminentur, vt fit in cõuulsis, in quibus si febris superueniat, facilè dissoluitur, teste Galeno lib. 2. Aphor. 26. & ob id ad cibandum grauiter pertimiscenda est accessionis inuasio. In qua quæstione, vt veritatem assequamur, eorum, quæ à medico sunt facienda, distinguendum accessionis declinationem duplicem esse, seu declinationis tempus duplex esse ex lib. de totius morbi temporibus, capit. 2. & capit. 3. cum febris incipit remitti, calorque descendere incipit. Alterum est integritas, quo suppositio cum distinctione si febris accessio vna, citò alteram cunctetur: ita vt sint accessiones per sub ingressum, quas sub intrantes appellant, in principio inclinationis oportet ægrum nutrire: at si longum sit interstitium absolutum tempus integritatis expectare licet, si nihil obstet. Quæ doctrina elegans Galeni est libr. 11. Methodi capit. vltimo. & lib. 8. capit. vltimo. cum inquit ad hæc operam dabis, vt quàm longissimè ab vtraque accessione nutrias, si spatium inter vnam accessionem & alteram longissimum sit: at si non sic se habeat, aut ægrum ad modum calentem nutrias,

trias, vel prope alteram acceſsionem cibabis, quæ ſententia abſoluit omnes quæſtiones victitandi, & ad iſtum locum tanquam ad vltimum documentum medici accedere debent, vt idoneam victus rationem poſsint conſtituere, diximus tamen ſi aliqua neceſsitas non vrgeat ratione ægrotantium, qui facillimè animo linquũt, qui diu in longis acceſsionibus abſtinere nõ poſſunt, aut quia bilioſi, vel ſi ſint ſenes, vel vtero gerant, vel ab animi affectibus facilè apprehendantur in his, vel in eadem acceſsione poſſumus cibum offerre, vt varijs in locis Galenus teſtatur præcipuè eodem lib. 11. Metho. cap. 15. & cap. vltim. ad finem. quam neceſsitatem medici noſtri temporis ſupplere ſolent, poſt longam febrium inuaſionem iuſculo propinato ſecuriori tempore acceſsionis, ſed aliqui plus iuſto licentioſi ſunt, vt qui per huius iuris propinationem ſoleant febres augere, ſed grauiter reprehendendi ſunt medici, qui apocimata, vel ſyrupos prope declinationes exhibent, idque manifeſtè contra Hippo. lib. 4. de victu citato. Præſertim cum iſta apocimata noſtra ſint compoſita ex pluribus, quam ptyſana, & in bilioſis bileſcunt, in pituitoſis vero icores mouent & febres augent.

QVÆSTIO Vnica.

De inhibitione putredinis.

QVæritur vtrũ circa putredinis inhibitionẽ à quo inſinuatio, & indicatio ſumenda ſit, ab ipſa cauſa putredinis, vel à putredine, vel ab ipſa febre inchoandũ ſit, quã quęſtionẽ infantiliter tradit Antonius ab Altomari in ſuo tract. de febrib. ca. 41. Sed quod prius ipſa putredo ſit inhibenda, pbat Galen. lib. 11. Meth. c. 4. cũ inquit partim vacuãdo, partim euẽtilãdo in cedere oportet, tandem

tandem confirmatur, quia in lib. 4. Metho. cap. 6. expresse docet in genere quouis morborum cui causa adest prius à causa inchoandam esse curationem. Idem testatur lib. artis medicin. cap. 89. & sæpè aliàs, neque aliter fieri pôt vt febris putrida curetur, nisi putredo & inquinamẽtũ auferatur. Sed alia ex parte Gale. lib. 11. Meth. c. 1. & 3. meth. ca. 1. docet expresse, primas indicationes ab affectibus esse desumendas, siue causam habeant, siue nõ, est veluti indicatio carcerea, in qua velint medici vel nolint apprehẽdũtur: quam quæstionem soluit Donatus dicendo, quod in morbis qui causam habent, prima indicatio sumitur à causa, secus si ea priuentur: id nihil est dicere, nam certum est, si causa non adest non est eius aliqua indicatio, teste Galeno libr. 4. Metho. capit. 3. & 4. potius ergo dicendum ad mentem Galeni, triplex esse genus indicationis, vel insinuationis, primum est curatiuum, & hoc verè sumitur ab ipso morbo primo, aliud est præseruatiuum, & hoc sumitur ab ipsa causa, quæ causa tantum demitur in modo præseruandi, nam ipsa ablata, vel diminuta precauetur morbi augmentum, hoc genus indicationis prophilaticum, vel prophilatice Græci appellant, testatur Galenus lib. 11. Metho. cap. 2. & sæpè aliàs. Tertium genus est indicationis cõseruatiuum, & hoc sumitur ab ipsa virtute ex libr. 9. Metho. cap. 13. Et ita hac distinctione præhabita facilis sequitur responsio ad quæstionem. Sed circa illud à qua causa prior executio, & indicatio sumitur, an ab ipsa putredine vel obstructione, non sine causa quæritur, quia ea quę demunt obstructionem febrem augere, solent, & per consequens putredinem, quæ à calido, & humido proficiscitur: quam contradictionem non ausus est Donatus aggredi. Breuiter ergo dicendum est, huic quæstioni satisfacere Galenum lib 7. Metho. cap. vltimo, dum inquit, quando ergo plures sunt causæ alicuius affectus, vel effectus ab eo

quod

quod ordo dictitat inchoanda curatio est, siquidem si causa doloris capitis est repletio corporis, & ventriculi consensus, prius aufferenda est repletio, deinde consensus rectificandus, eadem ratione vbi in febribus adest repletio, obstructio, putrefactio, prius ordine repletio, deinde obstructio, postea putredo. Cõtingit tamen sæpe, vt ferè omnes vnico remedio stirpentur quoties ab humoribus calidis proficiscuntur, teste Galeno lib. 10. Method. cap. 1. Secus est si ab humoribus frigidis, & crudis ducant originem, nam tunc artificiosus medicus esse debet ne dum causam aufert, febrem ad augeat, pro quo inuenit Auicenna vnicum genus remedij, vt syrupus acetosus, facit vtrique materiæ, & hactenus de causa febris.

Celebris quæstio vtrum in omni febre putrida competat sanguinis missio.

CELEBRIS quæstio quam multi ex neotericis tetigerunt partim distinguendo, & inquirendo diuersa loca Galeni, nos vero supra locum Galeni admirandum lib. 11. Meth. ca. 15. cum inquit, saluberrimum autem vt prædiximus non in continuis modo, sed in omnibus febribus quas putrescens humor excitabit, sanguinem detrahere multi cẽsent. Hac sententia non obstante Galeni, non esse detrahendum sanguinem in omni febre putrida: primo probant in febre tertiana in biliosis hominibus, & media æstate in quibus si sanguinem detrahas ad perpetuum languorem detrahes in quem sensum illud Auicennæ intelligatur Fen. 4. 1. ca pit. 20. caue ne ægrum perducas ad cholericorum ebulitionem, & ad frigidorum cruditatem, vbi ergo magis pertimescenda est cholericorum ebulitio quam in febre tertiana?

tiana? Præterea confirmatur, quia iusta illud Auicennæ eodem capite superabundantem euacua, & postea minue, sed quod superabundat bilis est, ergo tantum ipsa vacuanda. Vnde & merito in febribus tertianis æstiualibus tale prius minoratiuum ex casia instituunt, deinde ad maiora remedia accedunt, & ita Galenus libr. de sanguinis missione capit. 9. biliosis humoribus redundantibus medicamento purganti est vsus.

Præterea confirmatur, quia ex Galeni mente lib. de sanguinis missione cap. 10. vbi docet, vbi vero crudi succi abũdant, antea quam febricitent, caute vacuabis, si simul febricitent minimè, cuius causam ostendit eodem lib. cap. 9. ad finem. cum inquit, vbi copia crudorum humorum adest minimè phlebotomia conuenit, quia virtus debilis est, siquidem instrumentum virtutis calor est, qui mansionem in sanguine habet teste Galeno libr. de sanguinis missione capit. 5. & ita Auicenna. 1, 4. tractatu 2. capit. de curatione quotidianæ in hac sanguinem non extrahit nisi concocto humore, cuius modus procedendi est, vt paulatim concoquendo: paulatim minuendo procedamus.

SED his tamen non obstantibus censerem verisimã esse nostram sententiam Galeni, & omnium, in omni febre putrida sanguinis missionem conuenire, habita consideratione ad vnam quamuis febrem si nihil obstet. Cuius conclusiouis demonstratio est, nam putrefactio fit à calido, & humido feruescente in locis in quibus non euentillatur humor, sed sanguinis detractio attemperat, minuit causam, ergo verisime in omni putrida competit sanguinis missio. Cui rationi addere possumus doctrinam Galeni libro 8. Methodi capit. 3. quia sanguinis missione fit prẹseruatio, ne febris diariæ, vel intermittentes incontinuas transeant.

SED circa illam particam cum dicitur habita ratione

vniuſ

vniuſcuiuſque febris nam in quotidiana, quæ raro in Hiſpania reperitur, non in principio ſanguis extrahatur, quia propriè fomes ſanguis eſt pituitæ, potius, ergo pituita deſiderat alterari, & concoqui. In quibus febribus curandis quot errores medicorum contingunt, vt detrahant ſanguinem ſemiliuidum putantes eſſe putridum, cum tamen ſit de natura humoris prædominantis. Similiter in tertiana febre non immerito dixit Auicenna ſanguinem eſſe detrahendum, neque ſibi contradicit, quando dixit ſanguinem non eſſe de genere eorum, in quibus non expectatur concoctio ad eius extractionem, nam bilis humor coctus eſt: ſed in bilioſis hominibus, & tempore æſtiuo facili negotio vtriuſque cauſa, ratione temperamenti, & ratione temporis augetur bilis, & ſæpe videtur. Vt plurimis Medicis obtigit, ex tertiana ſimplici fiat compoſita. Nota tamen quod in tertiana donec humor aliquo modo miſceatur cum ſanguine, non datur locus ad euacuationem, licet abſolutè dierum numerus attendendus non ſit ad euacuationem, ex Galeno libr. 9. Methodi capit. 4. Et ita intelligitur illud Auicennæ. 1. 4. tractatu 2. capit. 56. de cura quotidianæ & dimitte eam vſque ad ſtatum, quia eſt hora eius.

QVAESTIO. I.

Quæſtiones de euacuatione per medicamentum purgans.

VTRVM in febribus putridis ſit vtendũ medicamento aliquo purganti? in hac quæſtione diſputabitur an ſtatim in principio in febribus continuis ſit vtendum hoc medicamento, & quo medicamento. ¶ Erit ergo prima difficultas an in

febribus putridis continuis liceat vti aliquo medicamento purganti? In hac difficultate quanuis argumentum ab authoritate negatiua nullius sit momenti: certè in admiratio nem nos ducit, quod Galenus in toto libr. 11. Metho. medendi nullam mentionem fecerit alicuius medicamenti purgantis, sed tantum medicamenti prouocantis vrinam, veluti sudorem vel vomitum, vt patet cap. 4. & 8. eiusdem cuius rei methodus ex sequenda ea sit vt partim euentilãti lantibus, partim vacuantibus vtamur: huiusmodi operatio non potest fieri integrè vacuantibus quia fit per participationem vtriusque auxilij, cuius testimonij causa Thomas Lusitanorum medicorum excellentissimus lib. artis medicinalis. cap. 89. & Mundela in suis Epistolis, Epistola 11. sentiunt, medicamenta purgantia minimè in febribus continentibus conuenire, idque affirmant authoritate eiusdem Galeni in lib. 9. Meth. cap. 4. in historia domini, & serui, non vsum fuisse aliquo medicamento purganti, in quibus & febres ex inflammatione, & cum putredine suborta fuit. Sed his non obstantibus censerem in febre cõtinua, vel continenti medicamentum purgans maximè conuenire: & primo deducitur, quia quod potest timeri in febre putrida, & continenti est incendium, quod ex medicamentis potest sub oriri, sed hoc minoris momenti est si causa tradatur, vt docet Galenus libr. 1. Aphor. cõm. 24. Ergo in febre continenti purganti vtendum est, non tamen in totum medicamento Galeni vtendum, vel aliorum antiquorum, sunt enim apud nos plura quæ sine noxa, & maxima, scandescentia purgare solent: quibus vti possumus. ¶ Præterea deducitur, quia ex sententia Galeni lib. 11. Method. cap. 8. hac methodo proponit febres putridas curandas, vt quod omnino putre est vacuetur, & quod est in via corrigatur, sed id quod omnino putre est tantum medicamento purganti potest educi, ergo medi-

mente

camento purganti in eis est vtendum. ¶ Tertiò comprobatur, quia Galenus lib. 8. Method. in febribus Ephimeris propter obstructionem purgat: ergo in putridis cur non purgabit? & ideo hanc defendimus opinionem. Sed iam inuestigare causam licet cur in toto libro 11. Metho. pharmacorum purgantium non meminit? breuiter possumus dicere, eo, quia in alijs libris, vt lib. 4. de victu acutorum, & libris de compositione per genera plura medicamenta elexit: ex quibus facile quis eligere possit. Possumus etiam dicere in toto illo libro 11. non feciſſe mentionem medicamenti purgantis, eò quia in febribus continuis antiqui plures expectabant criſes, per diuersas vacuationes quas tenetur medicus imitari, aliquando per sudorem, quandoque per vrinas, aliquando per aluum, aliquando per fluxum sanguinis narium: quibus omnibus si medicus debet esse attentus oportet iudicio constare, vt vnam aut alteram in sequatur vacuationem, & non semper per aluum irritet, oblita enim natura propriæ vacuationis, ad aliam distracta, succumbit morbo.

QVÆSTIO. II.

De purgatione in febribus.

QVO tempore liceat vti medicamento purganti in febribus: varij authores hanc quæstionem controuertunt, in qua quæstione prius consulo, vt lectores legant Manardum lib. 13. epistolarum, Epist. 1. vbi post multorum argumentorum tela depulsa, concludit in quatuor casibus nos posse medicamento purganti in principio vti: videlicet materia turgenti, multa apparente, venenosa, imminenti, vel vrgenti aliqua inflammatione interna ex bile, in reliquis vero, necessario expectanda coctio, & victo-

ria naturæ, sic humorum pessimorum coctio dicitur non pro alteratiõe, & cõuersione in substantiã aliti, sic lib. 2. de victu acut. cõm. 44. cruda, biliosa & cocta, appellauit, quia ipsa neq; cocta, neq; cruda dici possunt, sed euicta, sequestrata: cũ tantũ coctis humoribus debeatur purgatio, quia habemus naturã auxiliatricem, & adminiculantẽ ex lib. 1. Aphor. cõment. 22. videndum est, quo tempore sit administranda vacuatio, vel in incremento, vel in statu aut in declinatione, in quibus perfectior, aut imperfectior apparet concoctio, & in hoc arbitrio pauci ex nostris loquuti sunt, quidam ergo dixerunt hanc euacuationem faciendam esse in incremento, quia in statu occupata natura est in coctione, sequestratione, eo tempore iudicationes morborum, & crises fiunt, quo tempore vitio vertitur euacuatio ex Hippocrate libr. 1. Aphorism. 20. quia quæ iudicantur, & iudicata sunt integre, neque mouere, sed finere oportet. Alij vero adinuenerunt duplex genus vacuationis erradicatiuum, & minoratiuũ in principio posse exerceri minoratiuum dicunt. Erradicatiuum vero morbo cocto, sed quo tempore non explicant, & quod magis est in primo membro claudicant, nam purgantia minoratiua irritant, quod aduersatur Hippocrati cum dixit neque irritare, ac talis euacuatio maximè nocet, quia neque humores cedunt, neque natura operatur quia quocunque modo, vt succedat euacuatio debet fieri medicamẽto attrahente, & natura expellente, & cũ humores non sint cocti vtrũq; frustrari poterit: de qua minorãte vacuatione legãt periti, & curiosi Iachinum in tract. de curat. morb. acut. c. 4. vbi egregios sermones aduersus minorantes proponit qui cũ minores pupilli patrono indigent medico seniori. In quo ergo tẽpore sit administranda vacuatio, omnes Medici tacuerũt solus ergo Bertotius in sua paraphrasi videtur insinuare, & attingere scopum dicens

purga-

purgationem in his febribus moliendam esse transacta maiori parte status, multis de causis. Primò, quia semper oportet vacuationem promouere materia cõcocta hoc est sequestrata, & euicta, sed nullo alio tempore possunt huiusmodi requisita peti, ergo in ea hora molienda est euacuatio. Secũdò, quia in alijs temporibus incertus medicus est de euacuatione à natura tentanda, ergo in statu vbi clara demonstrantur signa, talis vacuatio est administranda. Et ita Galen. lib. 1. Aphor. cõment. 20. dicebat oportet motum naturæ expectare, quod si natura integrè nõ euacuet, medici opera supplere oportet. Clara ergo sententia est, quod si motũ naturæ debemus expectare: huiusmodi expectatio, & obseruatio debet fieri in statu, & ita non impeditur motus naturæ, si ad illud tẽpus obseruemus, obseruãdo signa indicatoria, & criticãtia: ex quibus medicus rimari poterit, qua via natura tentat vacuationẽ. Cui indicationi medici maximè attendere debent, vt fugiãt vulgi famã, quæ quotidie prædicat aduersus nos non ꝓcedere nisi purgãdo, & phlebotomãdo, rarò in vrinã promouẽdo, sudorem prouocãdo, sanguinẽ extrahẽdo in statu, quod rarissime medicis cõtingat, nõ vidẽtes multoties per sanguinis fluxũ naturã tentare vacuationẽ, ita intelligitur Auicenę sentẽtia, maximè cõtradictoria cũ inquit, & apud statũ nõ moueas, quod si natura nõ mouet moue tu hora motus eius: certũ est, quod hora naturę est status, ergo in statu mouẽdũ voluit, ergo significat Auicena nos debere esse in cõspectu naturę, & si natura nõ tẽtet vacuationẽ, vel si tentet imperfectã medicus minister eius vtrãq; adiuuare debet, & ita dicebat Hipp. in illa sentẽtia cõmuni nõ esse tentandam aliquã vacuationem natura iudicãte. Et postea in sentẽtia sequenti, inquit, quò maximè natura vergit, & per loca cõferentia ducere oportet, ac si dicat si natura iudicat oportet medicum viam naturæ insequi, quam debite inse-

qui

qui non potest nisi eius inclinationem conspiciat. Quam inclinationem ex multis locis Galeni, & Hippocratis medicus poterit intelligere, & ita parcant omnes interpretes Galeni, & Hippocratis lib. 2. Aphorism. 16. illo circa principia, & fines: vbi tenent vacuationes omnes artificiales faciendas in fine principij: quam difficultatem latius poteramus extendere nisi animus noster tantum direxisset scopum veritatis attingere, & tandem in his duabus difficultatibus remanent interpretata, ea quæ desiderantur.

QVAESTIO II.

De Clysteribus.

DIsputatur à plurimis, an Clyster debeat præcedere venæ sectionem, vel econuerso? quam quæstionem aliqui ex recentioribus magis disputant in lib. 9. Methodi capit. 5. & quia latissime eam disputant tantum capita rerum attingemus. Afferunt loca contraria, quia Hippocrates. & Galenus lib. 4. de victu acutorum, text. 20. & 75. affirmant clysterem debere præcedere venæ sectionem, at lib. 9. Methodi capit. 5. docet prius necesse esse vt excrementa descendant, quam sanguis mittatur. Idem AEtius tetrab. 2. sermone 1. cap. 71. docet superfluitatum ægestionem necessario debere præcedere venæ sectionem, cuius causam legitimam affert Paulus lib. 4. cap. 1. de phlebotomia, & lib. 6. cap. 40. videlicet ne degrauata natura per venæ sectionem, à fæcibus fiat attractio.

PRO saluanda ista contradictione, dicunt Hippocratem in lib. de victu acutorum loquutum fuisse de vsu clysteris acris, quia habet vicem medicamenti purgantis, in lib. 9. Methodi, & Paulus, & AEtius intelligendos esse de vsu clysteris emollientis, vt fæces facilitentur. Sed ista re-

sponsio

sponsio quadrat maximè, quia quanto maior euacuatio fit per clysteres, tanto fit maior innanitio vasorum, & exi catio: & per consequens minor apparatus ad euacuationem. Præterea larga purgatio substituit phlebotomiæ, sed per vsum clysteris acris fit larga euacuatio, ergo minus in hoc casu debet præcedere clyster phlebotomiam. Vnde illud Auicennæ Fen. 10. 3. cap. de curatione pleuritidis, asellere bis, vel ter excusat à venæ sectione: ergo ante venæ sectionem non est curandum, vt immodice aluus profluat, sed tantum vt fæces leniantur, & deponantur, tandem si vsus clysteris acris obtinet vicem medicamenti purgantis, ibi vtroque auxilio venæ sectione, & medicamento purganti opus est, à venę sectione est incipiendum, teste Galeno lib. 4. de victu acutorum, comment. 20. quam nostram sententiam locis Galeni ab ipsis adductis confirmare possumus, videlicet libr. 6. per locos capit. 3. cum inquit, ijs qui suffocantur subito venam secare, & elicere forti, & acri clysteri, vt maxima materiæ copia à loco læso, reuellatur: certum est quod in apoplexia sanguinea siue subito, siue ex casu contingat, si vtroque auxilio est opus inchoandum esse à sanguinis missione. Dicendum ergo est breuiter Hippocratē, & Galenum in lib. 4. de victu acutorum loquutos fuisse in casibus periculosissimis, videlicet in inflammationibus internis, & similibus. Et ita intelligitur text. Auicennæ Fen. 1. 4. tract. 2 capit. 7. cum inquit, phlebotomiam fac sequi solutionem ventris, id est solutio ventris sequatur phlebotomiam, ac proinde pro firmo, & vero defendam semper clysterem debere præcedere phlebotomiam, quam quæstionem inter magis neotericos ægregie ad modum euentillat amicus Lemosius libr. 9. Method. capit. 5. neque attendendum rationibus Porceli cuiusdam Ceciliani, qui edoctus à sententia amantissima excellentissimi Doctoris Alderete,

bafritie potius quàm doctrina contrariam opinionem pro viribus defendit.

QVÆSTIO. III.

De potu egregia.

VTRVM in febribus putridis cõtinuis cõpetat potus aquæ frigidæ,& cuius cõditionis debeat esse febris, cui cõpetat potus aquę frigidę breuissimè disputãdũ. Certè quãuis in disputationẽ adducatur, dicenda plurima sunt extra omniũ mentẽ,sunt enim medici peritissimi,qui cũ offendãtur à potu aquæ frigidæ,iurauerũt oës sticulosos macerare,& sine potu eos relinquere:quod nõ cõpetat saltim ex eo patet,quia Galen.lib.9.Meth.c.5.vbi eam cõcedit,docet esse succedaneũ phlebotomiæ, vbi vacuatio per sanguinis missionẽ facta non est, vel per timorẽ ægrotantis,vel per obliuionẽ, ergo saltem nõ semper est concedenda.Probatur ex plurimis sententijs authorum. Primo, quia Hipp.lib.2.Aphor.31. vitio vertit vsum exuperantis refrigerij, sed potus aquæ vberrimus impensè refrigerat, ergo potus aquæ vberrimus cõcedendus nõ est.Præterea, vsus aquæ frigidæ potus grauissimas noxas cõciliat, cõuulsiones,distensiones,libores, quæ cito mortem solent cõciliare,vnde Paulus lib.5.sui operis cap.66.venenum existimat in quantitate potum aquæ frigidæ. His non obstantibus pro firmo, & vero substineo, potum aquæ frigidæ in febribus continentibus cũuenire. Quam sententiam confirmat Galenus libr.9. Methodi capit. 5. idem non solum in febribus intensis, sed in demacratis Galenus concedit libr.7. Methodi capit. 4. vbi non solum potum aquæ concedit, sed niue refrigeratum : eam confirmat Hippocrates, & Galenus libro. 6. Epidemion sectione 4. textu 10. vbi docent, non solum potum aquæ frigidæ ægros persanare,

nare, sed etiam per fusionem eos attemperat. Reliquum est, vt argumentis satisfaciamus, ad Hippocratem libro. 2. Aphorismo. textu 51. dicendum intelligendum esse sine ordine, & si absq; conditionibus à Galeno notatis exhibeatur libr. 9. Methodi citato. quomodo intelligitur Paulus, & alij loci interpretantur. Pro cuius rei meliori intelligentia, non pigebit conditiones Galeni enarrare.

Prima conditio est in humorum crudorum abundantia non, licet si copia crudorum ad sit, hoc potu vti: tunc enim crudiores redduntur, & obstructiones augentur, quo loco velim animaduertant curiosi, à nullo animaduersum, per crudos non intelligere non euictos, sed intelligere frigidos, & crassos, siue lentos, quia si sunt salsi, vel serosi plus iusto incensi, vt febrem ardentem constituant, etiam potus aquæ frigidæ competit, vt colligitur ex magnitudine febris per Hippocratem libr. 4. de victu acutorum textu 2. vbi febris vehemens, ardens, ab acri, & salsugineo humore originem ducere ostendit, in quo sensu intelligenda venit sententia communissima Auicennæ, cum inquit: & quandoque febris tantæ magnitudinis, & acuitatis est, vt relicto regimine causæ, liceat refrigeratione vltima vti. Quæritur ergo vbi regimen febris cõtrariatur ipsi causæ, non dices in febribus biliosis, sed neque in sanguineis: ergo solum in causone ex humore crasso ob orto, in quo tanta caliditas est, vt magis exurat propter crassitudinẽ materiei: quam insinuationẽ colligo ex vno loco Galeni lib. 10. Metho. cap. 1. in illis quas depingit sub contrarias indicationes, cum inquit, nam si intollerabilis febris sit committendum non est, vt per ea quibus causam adimimus febrem augeamus, simul arbitror febrem, & hominem substulerimus, hanc indicationem præcor Medici obseruent pro potus aquæ frigidæ vsu.

Secunda conditio est, vt nulla partium interiorum im-

becilla sit, qui modus loquendi illuditur ab eodem Galeno lib. 7. Methodi cap. 3. vbi Galenus reprehendit medicos qui omnes distemperantias imbecillitates appellant, quia nihil plus plebeio intelligunt, & ita verum est plebē cōmuniter omnes morbos imbecillitatem appellare. Ergo ista conditio Galeni videtur præter ordinem, aut indigna viro methodico. Dicendum per imbecillitatem partis alicuius interioris Galenum intelligere languorem ex temperie frigida, vt in ea facultas concoctrix sit diminuta, vel retentrix sit colapsa, in quem sensum intelligendus est difficillimus text. Galeni lib. 7. Meth. cap. 7. §. sanè optimum medicamentum, &c. qui locus à nobis explicatus fuit in quæstione de ventriculi affectibus.

Tertia conditio est, si tumor aliquis præter naturam occupet partes interiores, vel phlegmone, vel scirrus, tunc per exhibitionem potus aquæ frigidæ cita contingit suffocatio. ¶ Quarta conditio, si obstructio non occupet partem ex internis: sed addit Galenus si legitimum erisipelas est, non aliter curatur, vel mixtum cum phlegmone sit, nisi apparentibus signis coctionis, quasi dicat in his tumoribus etiam calidissimis expectanda coctio est, ne prohibeatur eius difilatio, & euacuatio. Et ita non intelligant interpretes Auicennæ ad exhibendum potum aquæ frigidæ, semper expectanda signa coctionis esse, nisi in prædictis casibus, ex quo textu difficillima, & satis controuersa sententia Galeni explicatur lib. 10. Methodi cap. 6. ad fin. vbi Galenus in inflammatione interna ex qua timor est ad hecticam transitus, docet exhibendum esse potum ratione præ cautionis, marasmodes, in quo textu duo videntur aduersa, & secum pugnātia. Primo pugnat cum se ipso quia in libro 9. Methodi citato in in inflammatione interna non vult vt medicamentum tam sæuum, vt est potus aquæ exhibeatur. Secundo pugnat, quia maior timor haben-

habendus est exhibitione potus aquæ, quam ex hectica ventura, quia exhibitione potus timetur subita strangulatio, quæ non timetur ex hectica ventura, tum quia poterit non contingere, & quod præsens est magis vrget, quam illud quod est futurum, qui locus difficillimus cum sit solum venit intelligendus præhabitis signis coctionis, quando semieuicta est inflammatio, aliter tam en grauissime secum pugnaret Galenus. In quibus conditionibus volui immorari, vt qui cæteri authores parum in eisdem reflectantur, & tantum pro vulgi conditione disputantes an cum niue refrigeratus potus debeat exhiberi obliti sui proprij muneris, videlicet interpretandi Galenum in tam dubijs conditionibus, quas vel nõ intellexerunt. Ex quibus omnibus patet solutio ad quæstionem, & difficultatem in quibus febribus competat potus aquæ frigidæ, certum est, quod competit in febribus vehementissimis in genere: in specie vero in febribus continentibus, ex sanguine, ita colligitur ex Galeno lib. 9. Metho. cap. 5. tandem in febribus bilioſis, quia sunt continentes, in quibus magis, eò quia potus pugnat causæ & ipsi febri, vt docet Galenus lib. 10. Methodi cap. 1. an vero in intermittentibus competat, vt in tertianis dubium est, quia huiusmodi remedium magnum est, ergo tantum in morbis magnis competit. In quo casu Antonius ab Altomari tetigit parum, allegatque AEtium in tetrab. 2. sermone 1. cap. 80. & Paulum lib. 2. cap. 20. & Galenum lib. 1. de crisibus, cap. 3. qui authores de potu aquæ frigidæ nullam mẽtionem fecerunt, sed tantum de aqua mulsa à qua his temporibus merito abstinemus, quia in tertiana pura facile bilescceret, & febris causam ad augeret, nisi forsan per aquam mulsam aquam saccharatam intelligant, cum quibus Galenus lib. 1. de arte. cap. 9. consentit, sed non possum non & cum Galeno, & reliquis decertare, quia ex eorum men

te potissimus scopus in hac febre est refrigerare, & humectare, ergo aqua mulsa non competit, solum ergo ad Auicennam confugiendum est Fen. 1. 4. tracta. 2. cap. 39. in. §. & non in frigides in frigidatione vltima nisi inuenias inflammationem vehementem neque in principio, quæ verba ipse Auicenna exponit dicens, neque multum in frigides nisi quando timeas transitum in causonem, cuius ratio ab ipso præscribitur, in fine capitis cum inquit, eadem cum quæ debetur causoni, debetur tertianæ, sunt eiusdem generis, & eiusdem speciei, & sic pro captu habita ratione tertianæ puræ, vt consideratur à Galeno lib. 2. de crisibus capit. 3. exhibendus potus aquæ in moderata quantitate, cum iam calor incipit descendere, in quo tempore aptius syrupum, & iulep longum instituit. An hecticis conueniat non minus dubium est, quam insinuationem hucusque à nullo vidi excusam, neque in praxi exercitatam, clarè tamen Galen. in lib. 10. Meth. cap. 6. propinabat potum aquæ frigidæ, in his in quibus hectica timetur ab inflammatione alicuius partis interioris. Præterea libro 7. Methodi cap. 4. post medium. vbi clarè, & perspicuè vna die in imbecillitate ventriculi potione aquæ frigidæ restitutam fuisse, quo loco non de quauis imbecillitate, sed de sicca, & calida æstuanti intemperie ventriculi de qua in præcedentibus loquebatur, nam in reliquis certum est, quod minimè competit. Ergo si in sicca intemperie ventriculi, melius multo in hectica vniuersali, talis enim intemperies siccitatem corporis sequitur, vt patet ex eodem libr. capit. 6. Vnde hecticam ventriculi appellant. eandem sententiam cõfirmat Galen. lib. de marcore. c. 7. vbi de balnei vsu, & de potione frigidæ disputat. Sed alia ex parte repugnat vsus aquæ frigidæ in hecticis, qui tamẽ facilè ex potu aquæ frigidæ extinguentur, & potissimum, qui hecticã ventriculi patiũtur, id colligitur, quia Galenus

hecticos

hecticos curat balneo aquæ tepidæ, ergo potio frigida maximè nocebit, & ita Auicen. 1. 4. tract. 3. cap. 4. dicebat, & si necessitas vrget in frigidandi, multum non in frigides nisi cum re in qua est virtus humectandi, quasi diceret cum re nutrienti, vt paulo inferius ipse explicat, & per consequens in hectica non videtur conuenire potus aquæ frigidæ. Huic obiectioni satisfacit Galenus vnico verbo libro de marasmo. cap. 7. in princip. cum inquit, cum primum cognitæ fuerunt febres hecticæ aqua frigida danda est, quia virtus valida est, & sanguis plurimus in corpore diffusus, quasi diceret, in principio febris hecticæ tuto potus aquæ conuenit, quia virtutis non timetur extinctio, sed tempore procedenti non erit ex vsu, & ita voluit significare in principio eiusdem capitis cum dixit, potus aquæ, & balneum remedia sunt in hectica febre, sed non ita tutus potus aquæ: in qua obseruatione fecimus moram ob eam causam, quia nullus medicorum neotericorũ obseruauit non sine magna ægrorum iactura, quia potu aquæ frigidę subito febris ista fuit curata à Galeno lib. 7. Metho. capit. 5. allato. Sed an in febre pestilenti possit condonari, cũ conditionibus à Galeno assignatis dubiũ est. Auicen. 4. 1. tract. 4. cap. 4. docet quod si febris fuerit sanguinea, à sanguinis missiõe inchoandũ est, sed in febribus sanguineis exhibet potum aquæ frigidæ Galen. lib. 9. Metho. cap. 5. ergo & in illis nõ negari debet præsertim in his quæ cum subito accidant, & cito in eis virtus decumbat, minori noxa substitui potus aquæ frigidæ potest, his adde quod corpus attemperãdo sudorẽ puocat, quod vnicũ remediũ est in febre pestilenti, autore Auicena loco allato. Sed altera ex parte videtur quod non competat, quia in hac febre adest summa putredo, sed aqua frigida aduersãtur dissolutioni putredinis, quia incrassat, ergo nõ conuenit. Præterea vt plurimũ accidit cũ apostemate, sed in febre apostematis nõ cõue-

nit

nit potus aquæ. Antecedens patet per Galenum lib. 9. Methodi cap. 5. Sed his non obstantibus, manifestè colligitur potum aquæ frigidæ in his febribus maximè conuenire potissimum authore Auicenna loco citato. §. & plurima aqua frigida est iuuatiua valde, quia subito extinguit calorem in quo malignitas febris consistit, quam sententiam accepit à Rasio lib. 10. continentis capit. proprio de febre pestilenti, sed quo pacto tanta inquinatio, & putredo non consopitur per exhibitionem potus aquæ frigidæ, durum esse credidi: dicendum ergo & pronuntiandum hac potissima conclusione est. In principio febrium pestilentium cum prædictis conditionibus conuenire, quia in principio adhuc non apparet difficultas respirationis, neque virtus debilitata est, neque resoluta. Præterea eo tempore putredo non nimis aucta est, vt refert Gentilis loco allato. Quibus solutis iam ad vltimum disputandum vtrum aquæ potus niue refrigeratus debeat exhiberi, quã disputationem affert Carthaginensis vir in tractatu de febribus pestilentibus lib. 1. tract. 9. cap. 4. quam disputationem non solum pro febre pestilenti disputat, sed pro omni genere febrium, cui quæstioni breuiter possumus satisfacere, ex Galeno lib. 7. Methodi cap. 4. cum inquit, vidisti vna die hecticam ventriculo aquæ potu niue refrigerato persanatos fuisse, idem testatur Galenus lib. 2. per locos cap. 1. quia ex vsu refrigeratis, & impetu currentis, niue circumposita fiat subita mutatio. Idem testatur lib. 6. epidemoin sectione 4. text. 10. & 14. non tamen his contradicit Paulus lib. 5. cap. 66. vbi censet esse venenum aquam gelidissimam. Idem confirmat AEtius tetrab. 4. sermo. 1. cap. 45. idem lib. 5. Aphorism. 24. frigida qualis nix pectori inimica, destillationes mouet &c. loca ista intelliguntur in his qui præter rationem niue ipsa vtuntur potui iniecta quod perniciosissimum est, & venenum. Sed locus difficilis est

lis est apud Galenum libro de bono, & malo succo ca. 13. vbi vsum niuis repudiat, nam quamuis statim noxa non sentiatur, paulatim sentitur. Qui locus quamuis eadem ratione poterat exponi, nihilominus debet intelligi cum in suetis, & hominibus laboriosis, qui facilè à tanta frigiditate tentantur, & grauissimas noxas contrahunt, & hactenus de potu aquæ frigidæ.

Quæstio noua vtrum possimus prouocare sudorem nõ præhabita purgatione.

HERE omnes neoterici existimant non esse prouocandum sudorem ante totius corporis vacuationem. Primo deducunt ex natura sudoris, quia ex Galeni mente libr. 10. de simplic. medicam. facultatib. capit. proprio, & ex lib. 1. de sanitate tuenda capit. 12. sudor est recrementum tertiæ coctionis, ex portione vrinæ, quæ cum sanguine permeauit, sed est humor peccans qualitate, ergo potius medicamento purganti indiget. Secundò illorum ratio ita procedit, nam ex Galeno lib. 8. Methodi, & lib. 11. Meth. cap. 8. ante totius corporis vacuationem rarefacientibus non est vtendum, sed ea quæ sudorem prouocant, cutem rarefaciunt, ergo sudor ante pharmaciam non est prouocandus: vnde Galenus eodem cap. neque vtitur balneo nisi hac præhabita vacuatione, neque sudorem eliciendum nisi præhabita humoris concoctione, ergo necesse est, vt præcedat purgatio. Sed his non obstantibus aduersus plurimos medicos, & methodi sectores suo iudicio, qui cũ publicas enarrationes inscripserint, methodum tantum per quæstiones tradiderunt, & Galenum non sunt assequuti. Tenendum existimo in febribus continuis, & potissimum malignis posse prouocari sudorem, nulla præhabita vacuatione per

pharmaciam, licet necessario debeat præcedere sanguinis missio, si ea opus est. Et quia ista cõclusio nostra duas partes obtinet, de secunda nihil dicendum, quia cum ad sanguinis missionem nulla requiratur coctio: meritò presupponi debet. Ad sudoris vero prouocationem teste Hippocrate libr. 6. epidemion sectione 8. textu 9. & certa res est, quod eo tempore prouocari debet quo natura illum prouocare debeat, quod est præhabita victoria coctionis.

Sed circa primam partem est maxima difficultas, quæ & si difficilis appareat, prædictis hominibus, mihi molestiam non infert. Primo probatur, quia est euacuatio quæ à toto corpore educit, & ad cutem, ergo nulla præhabita vacuatione potest exerceri. Antecedens patet per Galenum lib. 4. Aphorismorum comment. 2.

Secunda ratio sic demonstrari poterit, quia in omnibus vacuationibus quas natura tentat medicus eas insequi tenetur, vt patet per communem sententiam Hippocratis lib. 1. Aphorism. 21. potissimum in his in quibus rectè operatur, sed si natura tentat vacuationem per sudorem, oportet medicum eam imitari, ergo necessario nulla præhabita pharmacia sudorem possumus prouocare, minor patet per Hippocratem lib. 1. Aphorismorũ 20. textu qui iudicantur, &c. Et Galenus in commento, ita inquit, oportet medicum motum naturæ permittere, quod si natura integre non discernat, medici opera supplenda est vacuatio, ergo si natura tentet vacuationem per sudorem, eam permittere, & si perfectè non iudicet, eam vacuationem augere. Quam obseruationem non inspicientes medici hodierna die, forsan ad alias vacuationes distrahentes naturam, vel ipsam confundunt, vel destruunt: non enim aliter medicus minister naturæ dicetur, nisi quia in omnibus quæ rectè operatur ipsam imitemur, teste Galeno lib. 1. Aphor. cõment. 21. & ita Galenus in vacuatione ali-

mult-

multominus vniuersali, idem consuluit lib. 9. Meth. cap. 5. videlicet in vacuatione menstruorum, cum inquit si tempore mittendi sanguinem, menstrua moueri contingerit, siue etiam hemorrois sit recluſa si inspecto fluentis impetu ipse satis fore videbitur, qui solus quod requirit vacuet, naturæ rem omnem permittes, sin minus tantum ipse detrahes, quod ex coniunctis ambobus perficiatur, quod postulas. Præterea in febribus pestilentibus in quibus transacta prima, vel secunda die, rarò solent purgantia medicamenta proficere, si sudorem prouoces, in totum à febre liberantur ægri, & experientia hoc nos docuit, in catharro pestilenti, in quo sola promotione sudoris plurimos curauimus. Consequens est, vt ad rationes aduersariorum satisfaciendo perueniamus.

Primo argumento de sudoris natura cõcedimus, quod peccat qualitate materia sudoris, sed habilior multo est, vt per cutem expellatur. Tum quia natura hanc viam illi humori parauerit, tum quod sæpè ista vacuatione morbos in integrum absoluat, & præmissis signis coctionis laudatissima talis habeatur crisis.

Secundo argumento possumus dicere, Galenum ibi loquutum fuisse de medicamentis reserantibus, & de obstruentibus, quæ infartibus debentur, talia cum calfaciant intense, & magis quam necesse est moueant, ante totius corporis vacuationem condonanda non sunt.

Quæstio de vsu Apij.

QVAESTIO non mediocris de vsu apij subori tur vtrum febribus opitulari possit? & quod dici tur de apio, idem de reliquis medicamentis calidis, veluti de oximellite, de origani, & tragorigani decoctione, & de absinthij, decocto, quod medicamentum lau

dat Galenus libr. 11. Methodi cap. 9. vbi in febribus continuis, potissimùm vbi sunt obstructiones impense eũ cõmendat. Cuius sententiæ fuit idem Galenus lib. 1. de arte curatiua, ad Glauconem cap. 9. idem lib. 8. Methodi cap. 4. vnde Auicena cap. de tertia, notha expressè apocimata, & decocta instituebat ex apio, & nos quotidie instituimus ægrosque defatigamus cum apocematibus, quibus ita ventrem replemus, vt vultus ægrotantium similes pharmacopolis faciamus, nusquam tamen febris definit: sed Galenus eodem capite paulò superius apium vitio vertit, pro curandis febribus, quia febrem auget, & quòd magis est cibi fastidium mouet, quod in febribus detestandum est. Cui quæstioni satisfacit quidam interpres Galeni in lib. 11. Methodi citato Galenum ibi loquutum fuisse, demitiori febre quoties causa humor crassus, & iuscidus est, tunc potius oportet scopum ad causam redigere, secus autem se habet in febre continua maligna, in qua vsum medicamẽti calidi, vitio vertitur, ita Galenus lib. 1. ad Glauconem capit. 10. & elegantius libr. 10. Methodi capit. 1. cum inquit, cum magnitudo febris vrget vel leui medicamento calido non est vtendum, sed aquam frigidam potui dare: quæ responsio clarè ad mentem Galeni est eo in loco. Sed in hac difficultate latitat aliud quid magis, nam Galenus nõ solum in febribus magnis, sed cum humorum turgentia exhibet decoctum origani, vel tragorigani, quæ ab humorum calidorum occursu prouenit, & semper turgentiam, febris magna concomittatur. In qua dubitatione certum est Galenum lib. 1. Aphorism. solum per occasionem loquutum fuisse, quia ipse inquit nisi occasionem inuenias exhibendi decoctum origani, vel tragorigani, quæ tamen occasio sit ista explicanda à nobis est, in cuius indicatione non sunt audiendi interpretes Hippocratis in illo aphorismo, potissimum Odideodis, qui sua acutie ingenij tenes

net Hippoc. intelligendũ vel Galen. in morbis magnis turgentibus, in quibus nõ à leui medicamento pręparanti, sed à forti incipit, sed certè aberrat, nã per Galen. locis à nobis allatis, quãto febris maior, magis fugiẽda sunt medicamẽta calida, potissimũ in hoc casu in quo ex vna parte turgentia, ex altera parte magnitudo febris vrgent: & quod magis est Galen. nõ vtitur quouis calido medicamẽto, sed de cocto origani, vel tragorigani, poterat vti prima die oximellite: quapropter dicendũ occasionẽ istam cõsistere in diuersitate materiæ, & ethereogenitate in diuersis locis cõsistente, poterit fieri, vt plurima crudorũ, copia in primis vijs adsit, interim in præcipuis, vel vasis magnis magna turgentia vigeat, quod sæpe cõtingere in boracisinis hominibus solet, & alio casu cõfitetur Hipp. lib. 4. Aphor. text. 37. cũ inquit sudores frigidi cũ acuita febre mortem &c. certũ est, sudores frigidi docente Galeno in cõmento contingunt ex copia crudorũ in ambitu, licet interius calidissima intemperies vrgeat. ¶ Alias quæstiones de febribus continuis poteram adducere, veluti de sanguinis missione vsq; ad animi deliquiũ, vel de humorũ præparatione, & alijs similibus, sed quia adsunt plurima neotericorũ monumenta quæ de his plenissimam copiam legentibus faciunt ab his super sedere melius est. Et ad alias disputationes aliarum febrium scopũ dirigere, me consului.

De febre Tertiana.

PRIMA ergo quæstio vtrum in tertiana febre facienda sit sanguinis missio statim initio, vel transactis secunda vel tertia accessione? in qua difficultate aliqui neoterici omissa sententia Auicenæ intrepide euacuant statim initio, tum quia dependet ab humore calido, tum etiam quia in sanguinis missione nulla

debet expectari concoctio. Præterea Galen. libr. 11. Methodi capit. 15. docebat, generaliter in omnibus febribus quas putrescens humor excitauit, sanguinem esse mittendum, ergo intrepidè sanguis statim mittendus, potissimum si vires constent, & ætas non deneget.

Sed altera ex parte Galenus obstat, nam libr. 1. de arte curatiua ad Glauconem cap. de tertiana nullam fecit mentionem phlebotomiæ, forsan timens bilis effrenationem: & ratio ipsa indicat, quia vbi humores bilioſi redundant, potius à medicamento purganti inchoandum, nam ex sententia Auicennæ super abundantem humorem euacuabis, & postea minues. 1. 4. tract. 2. cap. 7. & alio loco dicebat, caue ne ægrum ad cholericorum ebulitionem, vel ad frigidorum cruditatem trahas. In quo Donatus, Antonius ab Altomari tractatu 2. de febribus capit. de tertiana tenet dubitanter in tertiana febre syncera medicum non aberrare si sanguinem non extrahat, secus in tertiana producta, quæ ad longiores paroxismos se se extendit, quia cum sit magis producta, & extensa inquinat magis massam sanguinariam. Sed huius authoris omissa timiditate, crediderim in quauis tertiana sanguinem detrahendum, licet cum præmeditatione Auicennæ in tertiana pura, & syncera, cum docet. 1. 4. tract. 2. cap. 39. & quandoque est possibile, vt phlebotomes, & vsque ad tres periodos non fac, quid voluerit Auicenna significare quando dicit, & vsque ad tres periodos non fac, non intelligentes aliqui Auicennæ decretum prorsus Auicennæ sententiam denegant. Sed salua pace illorum, vt iacet est intelligenda, in casu tertianæ puræ, vt quantum sit possibile vsque ad tres periodos non fiat. Multis de causis, primo, quia oportet, vt præcedat clemens vacuatio per aluum, & lænitiua, vt ipse vult in principio capitis, & AEtius tetrablib. 1. sermone 2. capit. 80. quam consuetudinem Itali vsque in hodier-

hodiernũ diẽ seruant, vt in tertianis veris, & puris. Primũ quod faciunt est exhibere medicamentum clemens, & existimo Hispanos non aberrasse, si eam insequeremur.

Secunda causa est, quia in principio febris tertianæ puræ maxima copia bilis syncera, quam crudam appellant, ad ventriculum defertur, qua ventriculum mordente fugienda sanguinis missio est, poterit enim insequi aliquod grauissimum accidens veluti animi deliquium, ergo tutius erit partem istius humoris deponere. His tamen adde quod in tertiana pura quæ tempore æstatis accidit, si homini bilioso contingat, & in regione calidissima, maxima sequitur noxa ex sanguinis detractione, ergo tutius est aliquot accessiones expectare ad phlebotomiam exercendam. Vnum tamen dicam, quod in veritate affirmo, cum obsequium medicis antiquioribus præstarem tempore æstiuo in tertianis non ad modum exquisitis, sanguine detracto, transacta prima accessione, altera die duplicari, quæ cum vidissent Medici antiquiores adhuc nollunt suam opinionem relinquere, sed in sua rebellione permanentes, hoc die mallunt aberrare, quam à sua opinione desistere.

Ex quibus omnibus colligitur, ne nouam, & priuatam de hoc constituamus quæstionem, in tertiana febre, facta leui lenitione in principio, erradicatiuo non esse vtendum, donec aliquot accessiones transeant, & perfectissima coctio appareat. In tertiana rarò crises contingunt, & in hac febre non nimis naturam molestare debemus, magis enim desiderat alterantia, quam medicamenta vacuantia docente AEtio, qui debito regimine, & refrigerantibus plures tertianas curauit loco allato, in qua intentione moneo lectorem, vt consulant peritissimum Gentilem supra locum Auicennæ prædictum.

Quæstio

Quæstio de tertiana Notha.

AN in hac febre tertiana notha liceat vti in mixtis cum decoctis pipere vel alijs similibus dubium est? Galen. lib. 1. de arte cura. ad Glauconem cap. de tertiana notha cum decocto ptysanæ vtitur pipere, casia, absinthio, & alijs medicamentis. Quo decocto vtitur in febre quartana, hæc medicamẽta valde calida sunt, quam sententiam refellit Alexander Tralianus lib. 12. cap. 6. vbi docet ex mente eiusdem Galeni, quod in febribus his longis ita pugnandum cum causa, vt febrem non augeamus & negligamus febrem. At piper calidum impense est, ergo laborantibus febre tertiana notha non conuenit simile decoctum. Præsertim in febribus hominis bilioſi, qui vel in salute ab eisdem medicamentis offenduntur, his, & alijs persuasionibus conatur Alexander Tralianus, reprehendere Galenum. His tamẽ non obstantibus cum Galenus, non sine maxima præmeditatione his medicamẽtis vsus fuerit, pro viribus, & focis defendemus ipsum. Animaduertẽdo prius, quod in morbis longis tutissimum consilium fuit, pro appetitu conseruando eorum medicamentorum miscellam parare, quæ non essent nimis horrida, sed grata gustui, & quæ contradicerent morbo in pauca quantitate miscere, ita fecit in salsamento hecticorum, videlicet in alica, quæ prima fronte omnino disparata res hecticis videtur, vt patet ex libr. 10. Methodi cap. 11. vbi docet fieri exiguo porrij, aqua, aneth, sale, & oleo, hæc sunt quæ primo vestibulo horrida apparent. Sed talis ab his fit mixtura, vt necessario salsamẽtum delicatissimum parent. Hæc omnia medicamenta plus iusto calida sunt, sed vice salsamenti exhibẽtur: eodem prorsus modo, vt ptysana tot diebus à tertiana captis sufferri possit, immiscetur tantilum piperis, vt excedentem humi-

ditatem

ditatem corrigat, piper enim clarè, & manifestè ventriculum corroborat, facit penetrationem eorum cum quibus miscetur, vt amplius desiderari non possit, ex quo colligo in morbis longis potissimum senum perperam hæc decocta instituui, quæ ex horridis medicamentis instituuntur, cibi enim fastidium in morbis longis malum, docente Hippocrate lib. 7. Aphor. 6. Et ita Alexãder Tralianus loco allato perperam reprehendit Hippocratem, & Galenum tum in ptysanæ decocto cum pipere, vel cum absynthio pontico quæ medicamenta valde corroborant ventriculum, vt docet Galenus lib. 11. Methodi cap. 15. & cap. 16. & sanè valde mirandũ est quam aliena sint hæc Galeni medicamenta ab vsu neotericorum.

Quæstio de Quartana febre.

VTRVM competat vomitus, & quando competat. Quòd vomitus non competat, ex eo patet, quia est humor terreus, & grauis qui ad supera non inclinat, & per consequens per superiora non potest purgari, & ita Hippocrates libr. 4. Aphor. 9. & Galenus in comment. Sed altera ex parte clarè, & manifestè omnes authores Græci nemine dempto fatentur, vomitum maximè prodesse, vt fuit Galenus libr. 1. de arte curatiua ad Glauconẽ, cap. de quartana, AEtius, & Paulus tum quia materias crudas in ventriculo existentes euacuent, & quia humorem euacuent in ventriculo contentum: sed nos addimus tertiam causam videlicet, quia per vomitũ natura sumit maximum conatum, quo conatu facilè humor exturbatur, semper enim natura vehementi conatu assumit vires ad expulsionem, veluti sternutamẽto solet vincere vehementes morbos vterinos, vt patet per Hippocratem libro. 5.

Aphorismorum 49. & qui in auribus impedimentum habent, eodem sternutamento iuuantur, & ita quamuis humor sit grauis, cum lien sit iuxta ventriculum, in situ & per venas illi vicinas impense per vomitum auxiliatur. Sed quando sit vtendum vomitu an in principio quartanæ, vel in statu apparentibus signis coctionis, vel vna die ante accessionem, vel in eadem accessione modo disputandum? quantum ad primum crediderim (vt intelligitur ex Galeno) vtendum vomitu præmissis signis coctionis, quia Galenus non vtitur quouis medicamento, sed forti, quo non licet vti, nisi præmissis signis coctionis, vt patet in libro de theriaca ad Pamphilianum, vbi vitio vertit exhibitionem theriacæ in principio in quartana, solent enim qui ea in principio vtuntur excitare duplicem quartanam, & aliquando continuam, ex qua facilè mors subsequi solet. Et ita Galenus cum eleboro nigro purgat, & decocto anethi, vel aqua mulsa, vel decoctione seminis raphani, & his certè non licet vbi nisi ingraueſcente quartana, post multos dies, in quo vomitu exhibendo duo existimarem seruanda esse.

Primum, vt hyemis tempus præcaueamus, vt colligitur ex Hippocrate libro 4. Aphorismorum 6. tale tempus ineptum est ad hanc euacuationem, & potissimum in quartana, in qua omnia debite disposita requirit, videlicet tempus, regionem, sine quibus ægrè cedit quibusque medicamentis.

Circa tertium, an vomitu vtendum sit vel in principio accessionis, vel die ante paroxismum, maxima lis est inter Græcos medicos. Alexander Tralianus libro 12. capit. 8. expressè sentit vomitum vtilissimum esse in quartanis, sed iubet faciendum esse tempore accessionis, vt humores crassi committentes accessionem vacuentur: inde tamen originem duxit hæc opinio,

quia

quia eō tempore facilius humores rebelles, melancholici expurgantur, quia sunt commoti, & à natura excitati, & facilius ex purgabuntur, rebelles cum sint, requirunt commoueri, vt facilius possint educi quam sententiam arripuit, ex Auicenna prima, quarti. tractatu secundo, capit. sexagesimotertio. vbi docet, & de his quæ conferunt eis est vomitus in die paroxismi, & non sine causa, quia ex Hippocrate in accessionibus abstinendum ab vsu cuiusque medicamenti. Donatus Antonius in suo tractatu secundo, de febribus sentit conciliandos istos medicinæ proceres, videlicet, vt vomitus, tam in die paroxismi, quam vna die ante paroxismum, vacuando causam ante cedentem, in die paroxismi vacuando causam coniunctam, quæ solutio ad mentem Hippocratis saluari non potest, idem esset tentandum in reliquis febribus, etiam si natura non tentet vacuationem, cum tamen in omni accessione à cibo, & ab exhibitione medicamenti sit abstinendum.

Dicendum, ergo existimauerim pro conciliatione istorum Authorum, vomitum duplici medicamento posse promoueri, aut medicamento leni, emollienti, & insipido, vt est aqua tepida, vel mulsa, aut de cocto anethi, vel seminis raphani, vel alio quouis medicamento, & de isto vult Alexander Tralianus, vt quouis tempore exerceatur, siue in ipsa accessione, vel ante: aliud est medicamentum vomitiuum effrene, vt eleborum nigrum, quo vtuntur priores Græci, & isto non licet vti nisi vna die ante paroxismū, quia si in die paroxismi hoc medicamēto vteremur, plus iusto febris scan descceret, & forsan typum mutaret, & plurima mala subsequerentur, & ita Auicenna post illa verba à nobis insinuata dicit, quicunque vomitus ante accessionem fiat

aleuiabit febrem, quasi diceret vomitus qui fit medicamẽ ro leni in die paroxismi valde confert, sed quicunq; alter alio medicamento fortiori fiat minuet paroxismum venturum, & istam nostram solutionem clarè ostendit Tralianus loco, & capite citatis.

Quæstio de alimentis medicamentosis in quartana.



N hac eadem febre etiam Alexander Tralianus libr. 12. cap. 8. inuehitur in Galenum, qui pro curatione quartanæ vtatur alimentis medicamentosis calidis, & siccis, veluti pipere, succo cirenaïco cum castoreo, diatrion pepereon, quod chospoliticon nominant, vtitur, & salsamentis calidis, & siccis, cum tamen humor febris quartanę frigidus & siccus sit, ad augent febrem sua siccitate, & terreum humorem magis reddunt, & exiccant corpus, de quibus alimẽtis medicamentosis mentionem fecit Galenus lib. 1. de arte curatiua ad Glauconem, cap. proprio, vel de tremore, & rigore capit. 7. quem ferè sequuti sunt omnes Græci posteriores, & priores. Sed Alexander Græcorum omnium sententia omissa, tentet siccis alimentis non esse vtendũ, quia ea quæ humida sunt iuuant digestionem, & concoctionẽ, cuius sententiæ fuit Auicena. 1. 4. tracta. 2. cap. 63. cum dicit, & alienetur omne frigidum, & siccum, & si aliquis dicat tantum Auicenam loquutum fuisse in combinatione frigidi, & sicci, & non de calido, & sicco: paulò inferius id animaduertit, cum inquit, & fortasis conuenientius est frigidum & humidum, quamuis in altera qualitate opugnetur humori, quia melius est, vt contradicat febri. Idem Paulo superius notat cum dixit, si quartana fiat in æstate &c. cum peritus Donatus, vt satisfaciat huic quæstioni propo-

proponat pluribus modis medicamenta contrariari ægritudinibus primo per qualitates occultas: de quibus non est sermo in præsenti. Secundo per qualitates primas manifestas: & ita verè sicca non competunt. Alio modo, & tertio dicuntur esse contraria per qualitates secundas, sicuti per rarum, & densum, vt opponitur viscidum sciso, crassum tenui, & pluribus alijs modis, & hoc modo calidum, & siccum opponitur melancholico, quia cum sit crassum indiget calido, & sicco, vt attenuetur, sed quam uis ista solutio acuta sit non placet, quia & si recrementum melancholicum terreum, & crassum sit, indiget humectatione, & quod magis est plura sunt medicamenta calida, & humida quibus facili negotio fit extenuatio horũ humorum, & non contradicunt causæ, licet aliquo modo aduersentur febri, præsertim cum Auicenna expresse neque alimentum, neque medicamentum siccum, in quartana admittat.

Dicendum ergo Galenum intelligendum esse in febribus quæ prolongantur ad hyemem, in quo plura recrementa crassa, viscida procreantur, & impediunt terminationem quartanæ, vel melius possumus dicere intelligendum in quartanis auctumnalibus, quæ hyemem attingunt, in quibus diuersa methodus curandi sumitur, iuxta illud Auicennæ loco allato, cum inquit, & scias, quod quandoque incipit quartana in æstate, vel hyeme, in quibus diuersus modus habendus est curatiuus, & ita possumus dicere Galenum intelligendum esse de quartanis in temporibus frigidis subortis in quibus, propter impedimentum calfacientibus & exiccantibus vti oportet.

Alia quæstio vtrum medicamenta acetosa Quartanis competant.

MEdicamenta acetosa lieni non conuenire, ex eo colligitur quia melancholicis inimicũ acetum est, libr. primo simplicium capit. trigesimo primo. idem libr. tertio. de victu acutorum trigesimonono. Sed qui quartana afficiuntur, plus iusto sunt melancholici, ergo eis non conuenit. Et probatur demonstratione, quia lien rara, & fungosa constat substantia, sed illi inimica est, substantia, & qualitas aceti, ergo in quartana laborantibus acetum exhibendum non est. Et ob id Galen. lib. vndecimo Methodi, circa finem, docet lienẽ laxantia desiderare, à siccis facilè offendi tur, & potissimum adstringentibus: Auicenna vero prima. quarti. tractatu secundo. capit. 63. expressè in quartana laudat syrupum acetosum, quem post medium capitis laudat ad præparandum, & ad euomendum, potissimum, si fuerit melancholica flegmatica. Sed his non obstantibus censerem huic quæstioni duplici conclusione satisfaciendum esse.

Prima conclusio, neque melancholicis, neque quartana affectis acetum confert per partem interiorem exhibitum: & probatur quia melancholia qualiscunque assimilatur aceto, ex libr. quarto Aphorismorum 10. ergo minimè competit acetum, quæ si fit liene indurato acescit in ventriculo, si vero in toto corpore redundet augebitur, ergo per partem interiorem non competit. Ex quo facilè colligitur perperam aliquos huic quæstioni satisfacere dum existimant acetum non conferre ratione lienis, sed ratione totius corporis: quæ sententia vltra hoc quod dolosa sit (quia sic melancholicis exhiberetur acetum) repugnat Galeno libr. vndecimo Methodi capit. decimo sexto.

sexto. & libr. nono. de compositione per locos cap. secundo. vbi docet, quod lien imbecillus sit induratus, vt non possit trahere humorem melaucholicum in malacmatis, vnguentis, emplastris, acetum immiscendum. Idem vult Galenus libr. secundo. de arte curatiua. capit. de scirro. ex quibus omnibus infertur.

Secunda conclusio, quod quamuis inimicum sit acetum lieni per partes interiores, per exteriores tamen bene potest applicari lieni, vt præbeat viam reliquis medicamentis, & scirri rebellionem auferat: sed Auicennæ dicendum intelligendum, quando quartana oritur ex pituita plus iusto crassa, & viscida, vel vitrea cum melancholia, sed hoc rarum est, & ferè non factibile, quia quartana non fit sine vitio lienis.

Vltima quæstio de sanguinis missione in quartana.

MIRANDVM ergo est, & non sine occasione, qua de causa tam timorosa sanguinis missio sit in quartana, præsertim cum humor non sit omnino crudus, sed vltra sanguinem. Magis ergo timenda in pituitosis, in quibus cum pituita fomentum à sanguine suscipiat, potius extracto sanguine in coctilis remanebit, cur ergo tantum timeatur ab omni classi medicorum, nullus vsquam dixit. Certè existimarem eam fuisse causam, propter crudorum copiam, qui redundant, & lienem obstruunt, qua deuicta facilius sanguinem extrahere poterimus, dum modo fiat cum illis conditionibus quas præcipit Galen. lib. 1. de arte curat. ad Glauconem cap. 11. videlicet si sanguis abundet, dignoscitur ex vrinæ colore, si dum extrahitur niger, & crassus apparuerit, aliàs fluxus sistendus & debet fieri ex latere

sinistro

siniſtro ex vena cubiti vel media, cui ſolum addit AEtius ſiniſtrum hypocondrium durum, quia ſi dextrum debet fieri ex vena dextri lateris. Id autem AEtius fatetur tetrab. 2. ſermone 1. capit. 84. hæc ſententia rara eſt, & peregrina quod nec ab aliquo antiquorum huius venæ ſectionis licentiam habeamus, nam quartana nunquam fit ſine vitio lienis, quemadmodum tertiana non fit ſine vitio iecoris, ergo ex ſiniſtra parte phlebotomia fieri debet: quid autem voluerit ſibi AEtius quando dixit fiat in quartana venæ ſectio ex baſilica ſiniſtra ſi lienoſus fuerit, aut ex dextra ſi in dextro fuerit affectio, nullus hucuſque expoſuit, neque videtur admittere aliquam expoſitionem, quia nullus quartana laborat in quo iecur cum liene non conſentiat, oſtendit enim color totius corporis, qui ſemper iecori atteſtatur, & per conſequens ſemper ex vtroque latere deberet fieri, & quod magis eſt, vt plurimum ambo hypocondria intumeſcunt, in his qui bene non ſe gubernãt, quia omenthum quo tegitur caua lienis, & fundum ventriculi per vniuerſum epigaſtrium extenditur, & cum ex vena nutriatur quæ adſiſtit iuxta venam lienis facilè noxa lienis toti communicatur, quæ aliquando in dextro, aliquando in ſiniſtro apparet: tamen ſolum talis infartus ex ſiniſtro communicatur latere, videlicet ex liene, vnde eſt, vt in quartana affectis tam longum, quam extenſum appareat lieni vulgaribus, lien non eſt, ſed omenthũ, vt conſtat ex tactus proprietate, & ipſius conſtitutione, quia facilè hinc inde mouetur potiſsimum quando ſic eſt affectum, quid ergo dicendo proũ AEtio. Certè cum difficultate eius praxis ſubſtineri poteſt niſi in quartanis complicatis, veluti in duplici, & triplici quartana, vel continua in quibus non ſolum iecur compatitur, ſed priuata affectione afficitur, & in his tuto poſſumus ex vtroque latere ſanguinem extrahere, vt vtraque viſcera proſpiciamus, &

si isto modo, non saluatur AEtius, alio modo interpretationem non admittit.

QVAESTIO. I.

De febre Hectica.

DIsputatur inter authores vtrũ in febre Hectica balnea sint vtilia, simulq; quæ balnea, & quibus condonanda sint? Quod hecticis nõ competant balnea clarè constat, ex eo, si aliquo balneo deberent vti hectici, balneo aquæ dulcis temperato, sed hoc non, ergo. Minor deducitur, in hecticis omnia disponuntur ad vnam indicationem communem, vt humectentur, & restituãtur per medicamenta, & alimenta quæ valeant humectare, sed aqua in se non humectat, neq; ebibita, neque exterius applicita, docente Galeno lib. 3. de victus ratione cõment. 39. ergo deneganda his balnea sunt. Idem lib. 4. Aphor. 13. Sed secundo argumento maximè probatur, quia ex sententia Galeni lib. 10. Methodi cap. 10. hectici ab egressu balnei, frigidam ingredi debent, ne plus iusto resoluantur, aut langueſcant, sed his admodum frigida nocet, ergo neque vna, neque altera balneatio conuenit, quod frigida noceat ipse docet libr. 3. de victus ratione 49. & idem confirmat in textu 54. in quo loco tota difficultas rei consurgit, an à balneo aquæ tepidæ hectici ingredi debeant balneum aquæ frigidæ. Pro cuius quæstionis difficultate notandum est ex Galeno lib. 3. de sanita. tuenda cap. 4. balnea arte parata si sint ex aqua potabili, & frigida, sanis vtilia, si vero calida ægrotis conducunt, quæ si fuerint temperata humectant, si vero plus iusto calida calfaciunt, & parum humectant, quare pro hecticis tepida sunt administranda, quæ varijs modis, vel cum diuersis

medicamentis à nostris medicis præparari solent, Galen. tamen ex aqua dulci solum parat, Mesues vero ex lacte vel cum extremis animalium, quod laudant omnes neoterici, licet solum pro patritijs, & generosis conueniat. Restat iam ad argumenta satisfacere, pro primo argumento quod aqua non humectat dices verum esse non humectare solidas partes, quia non nutrit, quia substantifice non humectat, propter vltimum argumentum, in quo sibi Galenus contradicit, & plus iusto audaciter dicunt quidam neoterici in interpretatione Galeni lib. 10. Metho. cap. 10. Galenum sibi contradicere, & inconstantem, sed cum hi scribendo parum habeant experientiæ, & non intelligant in quo tempore morbi Galenus loquutus fuerit, sine aliqua præmeditatione aduersus Galenum irruunt, increpando vsum balneationis frigidæ & domos balnei diuersas, & alia plurima quæ Galenus adinuenit, pro miro vsu balnei. In qua difficultate existimarem faciendũ esse ingressum balnei aquæ frigidæ, cum conditionibus Auicennæ. 1. est nostra videlicet circa principium hecticæ, reliquæ vero annotat Auicenna. 1. 4. tract. 2. capit. 6. dum inquit, si possibile est, vt submergatur post aquam calidã, in aquam frigidã subito absque gradatione est, magis vtile vltimum ex parte curæ, & magis fortè ex parte timoris, per illa verba, sine gradatione, exponerem breuem moram in balneo aquæ frigidæ contrahendam, cum sit fortè medicamentũ timetur, sed iuuat, quia subito attẽperat.

Secundã conditionẽ insinuat Auicena, paulò inferius, cũ inquit aquã balnei non ita debere esse intense frigidã, secũdi balnei, sed qualis apparet tẽpere æstatis, ita interpretatur Doctissimus Acosta, in prima & secunda interpretatione Venetiæ. ¶ Tertiã conditionẽ insinuat Auicena, vt sit virtus fortis, quę cõditio erat fere eadem cũ prima, quia in principio hectici habẽt virtutẽ magis constantẽ, & vim con-

contrariorũ possunt magis sufferre, nihil enim magis exoluit virtutẽ, quã maxima contrariorũ intemperies, vt insinuat Galen. lib. 1. Aphor. 4. sed cũ omnes practici magis timorosum iudicãt secundũ ingressum balnei, vnũ ex duobus eligũt, vel ab egressu balnei aquæ tepidæ panno madefacto in aqua frigida cito transacto per pectus, vel totũ corpus oleo, ex refrigerantibus inunctũ, vel oleo communi, quia sic cito corporis impeditur, resolutio fieri, quam viam insinuauit Galen. lib. 7. Metho. cap. 6. in med.

QVÆSTIO. II.

De febre pulicari, vel puncticulari Epidimica.

QVESTIO à nobis, & satis controuersa excitanda erit, vtrũ in hac febre puncticulari liceat sanguinẽ mittere apparentibus maculis, vel puncticulis post septimum diem, etiam si ratione febris, prægressis diebus sanguis extractus fuerit? Ferè omnes neoterici existimãt apparentibus, non esse secandã venam: primo quia tunc temporis natura criticat, & per quanuis euacuationem natura solet distrahi, iuxta Hipp. lib. 1. Aphor. 20. quæ deiudicantur, & deiudicanda sunt, non mouere, &c. ergo apparentibus non licet sanguinem mittere, nec aliquã vacuationem promouere. Secundo probant, nã in omnibus vacuationibus oportet insequi motũ naturæ, sed facta sanguinis missione trahitur materia venefica ad intima & præpedit motus naturę. Probatur cõsecutio, in exẽplo variolarũ, nã ipsis apparentibus timorosum est sanguinẽ mittere, vt testatur Auic. 1. 4. tract. 4. c. 10. ergo eodẽ modo apparẽtibus maculis pulicaribus nõ licet sanguinẽ extrahere, ac proinde propter istas rationes & multas alias tenent neoterici non esse

extrahendũ sanguinem, apparentibus maculis prædictis. His tamen non obstantibus Donatus ab Altomari cap. de febre pestilenti existimat, nos posse sanguinem extrahere apparentibus his maculis, quocunque tempore appareãt, dum virtus constet, cuius rationes sic se habent. Prima ratio eius est, quia vel hæc vacuatio symptomatica est, vel non, vel critica, si critica iuuanda cucurbitulis, si symptomatica compescenda, vt iubet Galen. lib. 4. Aphor. 2. sed sic est quod febris ista apparentibus maculis inualescit, & ingrauescit, augeturque febris, ergo potius compescenda, & causam in venis cõtentam per sectionem vasorum maiorum deponere, ergo in his licebit tuto sanguinem extrahere. Secundo argumento non nimis forti probat, quia ex Hippoc. loco alleg. oportet imitari naturam in ijs, quæ recte operantur, sed hac vacuatione non discernit febrem, ergo alia vacuatio plenior eligenda est, qua morbo possimus satisfacere, scilicet per venæ sectionem. Restat iam quando rationibus Donati egimus, nostris gradum facia mus. Prima ratio est morbus, ceu febris pulicaris inualescit post septimũ diem, vt expresse constat, aliquando ex tertiana duplici, aliqñ ex febre cõtinua remissa, originem ducit, itaque clara est de generatio febris remissæ, in febrem cõtinentem, ergo tanquam nouus morbus, nouum remedium postulat, sed febribus continentibus nullum præstantius auxilium debetur, quam sanguinis missio ex lib. 11. Metho. citato, sæpe & libr. 1. Aphor. 24. ergo apparentibus maculis si vires cõstent sanguis extrahendus erit. Secũda ratio nostra talis est in quauis febre cõtinenti quouis tempore sanguis extrahendus est, si vires constent, ergo octaua die nona & decima possumus sanguinem extrahere, hanc consecutionem probabat Galen. lib. 9. Metho. cap. 4. post med. cum inquit optimum factu est, id quod nos in re facere vidisti attentum non numero dierum, sed

virium

virium robori ad sanguinem mittendum, vt aliquando si virium robur seruatum sit, non solũ septimo die, sed octauo & nono sanguinem extrahimus. Et hoc est, quod timebant nostri neoterici, quod apparentibus maculis iam virtus dissoluta, & imbecilla sit, quod si sic nõ se habet, certè timenda sanguinis missio non est, sed exercenda, vt voluit significare Galen. lib. de sanguinis missione cap. 2. qua facta vacuatione, iam cucurbitulis vti poterimus, vt malitiã partim humoris ad extima auocemus: certum est, quod nouo morbo accidente, potissimum febre continenti, nõ licet vti cucurbitulis, ante totius corporis plenam vacuationem, vt lib. de cucurbitulis, &c. docet Galenus & Paulus lib. 4. cap. 26. Restat vt rationibus satisfaciamus aduersariorum, quibus non satisfacit Donatus Ant. Abaltomari.

Ad primum argumentum dicimus diuersam esse rationem in febre ista & variolis, nam apparitio morbillorum, & variolarum, solet in totum criticare, & terminare morbum, at per apparitionem punctularum, potius inualescit febris, vt superius diximus. Præterea febris punctic ularis non continetur sub morbo pestifero, licet sub morbo maligno, & per sanguinis missionem non fit retrocessus, imo attemperatur natura, & calor febrilis diminuitur. Et ita secundo argumento possumus dicere, tantum debere imitari naturam rectè operantem ex libr. 1. Aphor. 21. Non tamen in his, quæ diminutè operatur tenetur illam imitari.

QVAESTIO. III.

De febre pestilenti, circa alimentorum exhibitionem.

DIsputabitur ergo in hac febre pro præseruatione, an carnes terrestrium sint magis ex vsu pro præseruatione

tione pestis, quam volatilium. Sunt in hoc Arabum satis controuersæ opiniones. Isaac in lib. de diætis vniuersalibus expresè sentit magis conuenire carnes gresibilium, quia vires magis firmiores reddunt, ergo magis conducent ad resistendum febri pestilenti: probat ex prædominio elementorũ,& certa cõmensuratione, quę in intelligibilis videtur, sed nos rationibus medicis, ita agere posimus. Prima ratio est, id magis à peste præseruare videtur, quod nobis magis assuescit, & magis eo vti consueuimus, sed magis ex vsu nobis sunt carnes terrestrium, quam volatilium, pro præseruatione pestis magis conueniunt animalia terrestria, quam volatilia, maior nota est, ex Hippo. lib. de assuetudinibus, melius multò ex Hipp. lib. 2. Aphor. 50. & ex Galeno passim potissimum lib. 9. Metho. cap. 15. & melius lib. 7. Meth. cap. 6. ad finem. cum inquit consuetudo maximè confert ad inueniendam victus rationem, siue in sanis, siue in ægris. Secundo probatur, quia vt plurimum pestis trahit originem ab humorum calidorum incendio, sed alimentũ volatilium calidius est, ergo qui his alimentis vtuntur facilius à pestilenti febre corripientur: delicatiores,& qui delitioribus edulijs vtuntur inter mortales facilius corripi, hinc esse videtur, quàm fossores, mesores baiulatores, qui alimentis difficilioribus cõcoctu vtuntur, à peste sint magis securi. Et hic non pigebit aliam demonstrationem annotare: nam inter animalia, quæ citius parant fugam tempore pestis sunt aues, ergo quia ab ea facilius apprehenduntur. At Auerrous lib. 5. collectaneorũ. cap. 32. & melius in tertia sect. cap. 15. vbi pro peste laudat carnes volatiliũ. Idem Rasius cap. de febrib. pestilẽt. in suis diuisionibus,& probatur isto primo argumento, in pestilenti cõstitutione inter omnia maximè læditur spiritus vitalis: sed talis maximè firmatur carne auiũ volatiliũ, ergo potius carne auiũ est vtendũ, & hãc sententiã tueri, & defendere

fendere non grauabor potissimũ cum Auicen. 1.4. tract. 4. cap. 5. dicat, corpora, quæ minus parata pesti sunt: corpora ea habentur, quę minus carent humiditatibus, & superflui tatibus, quas aues in volando consumunt: vnde est, vt cito vires reficiant. Ad argumenta alterius opinionis accedendo dicendũ. Primo argumento, quod quãuis consuetudo plurimũ valeat ad cibandũ, debet esse in prę seruatione, & curatione, quæ præbet indulcias, secus se habet in morbis extremis, qui ita regula cõmuni gubernari non possunt, & astringi: est enim in his morbis coacta præseruatio, & curatio. Secũdo argumẽto respõdetur cũ Auerr. semper tempore pestis alimentis vtendũ cum præseruatiuis, & præpedientibus malã, & venefica qualitatem, vt cum aceto omphatio, succo malorũ granatorũ, quibus in omnibus alimẽtis moderatè vti debent, nec crapula, nec ciborũ multitudine vti debent, qui velint præseruari, talis citius à peste suffocabũtur, cõtra imperitos, vt testatur Auic. loco allato, & ita pullis gallinaceis possumus vti, carne caponũ, fasianorũ, perdicibus, laudãt aliqui carnẽ suilã, quia eã semp cõmendauit Gal. & li. 7. meth. & lib. 3. de alim. facult. sed cũ crassi sit nutrimẽti existimarẽ nõ cõuenire nisi ijs, qui ea vti consueuerũt: oportet, ergo vt liberũ sit corpus ab omni immũditia, vt liberè possit p sudorẽ, & facilè corpus vacuari, & certè quãuis à Galeno sæpè p alimẽto elegãtissimo cõmẽdetur vsus pisciũ saxatiliũ, vt lib. 3. de alim. facult. c. 30. sanè in hoc casu hũc vsum nõ approbarẽ nisi adsit maxima indigentia, penuriaq; alimentorũ, iuxta parigmia antiquũ. Quis melior piscis de corpore dicito phlegma, sic est apostema melior dominus: ex quibus omnibus colligitur in collatione illa, quã practici faciũt, de electione auiũ domesticorum & montanarum, quæ sint electiores rusticæ, an domesticæ. Tandem ex sententia Auicen. loco. & Auerr. libr. 5. collig. cap. 31. colligitur aues montanas plurimum

exce-

excedere, quia plurimum humiditatis consumunt in volando: à qua in ista constitutione plurimum fugere opus: sed inter montana illa eliguntur optimi alimenti à Galeno lib 3. de alimentorum facult. videlicet perdix, turtur, fasianus, sterna, columbus, pullus. Si tamen horum nõ adsit copia, reliquos possumus vti domesticis, vt gallina, capone, vitanda omnino sunt, volatilia, quæ circa aquas degũt, pernitiosissima sunt, & malum præbent alimentum, ita tenet Auer. loco allato. sed qui nec auibus montanis, nec domesticis vti possunt, ex quadrupedibus, quæ sint eligenda, an arietina, vel porcina, vel hœdina? grauis controuersia est inter medicos, Galen. libr. 3. de aliment. facult. cap. 1. & 7. Metho. cap. 6. laudat carnem suilam, quæ annum non excedit: Auer. tamen laudat carnem erietinam, & meritò sanè, quia & suauior, & ab omnibus magis consueta, quæ consuetudo maioris momenti est, sed disidium horum alimentorum forsan accidit ex varietate regionum. Caro arietina Hispanorum, Italicam, & pergamenam excellit, quam Isaac in dictis vniuersalibus impense laudauit, quã carnem veri assimilat. Quod si aliquis insurgat, & quærat, an sit præferenda caro macerata, recenter mactatæ, quia caro diu reposita facilius concoquitur. Respondetur ea vtendum non à multò tempore mactata, sed hodie occisa, crastina die comessa. Ita docet Rabi Moses, nam quanuis reposita gustui gratior, initium putredinis habet: tum quia molior, tum etiam quia ex aere inquinato facilè contagium suscipit. De ouis certè nihil est, quod in controuersiam afferamus, præsertim cum maximi efficacissimi nutrimenti sint. Nec est quod medici conferant cum lacte, quia in ista constitutione non est laudandum pro alimento, nisi emulcto, & ab vbere accepto, facilè enim putrescit, vt colligitur ex Galeno lib. 7. Metho. cap. 6. De leguminibus quibus sit vtendum, saltem eis diebus, quibus à carnibus

bus abstinemus, omnes practici commendant lentes vix coctas cum aceto, quia præseruant à putredine & siccum alimentum præstant, laudat vsum lentium Auicen. 1.4. tract.4.cap. de curatione variolarum, sed certè suspectæ videntur, quia lentes prauum generant succum, teste Galen. lib.1. de alimentorum facult. cap.18. & lib. 1. de arte curatiua ad Glauc. cap. 11. de Elephantiasi vbi docet prauos, & melancholicos generare succos, sed in constitutione pestilenti grauis error committitur si his vtamur alimentis, quia maligniorem speciem pestis efficiunt, ergo in constitutione pestilenti non conueniunt. Adsunt ergo plurima alia legumina, vt scabiosa, borrago, acetosa, ramnus, asparragus, quibus coctis cum carnibus, vel aceto egregiã præstant præseruationẽ, de alijs vero vtrũ pro præseruatione pestis conueniant, grauissima difficultas est Auicen. duobus in locis videlicet in secundo canonis cap. proprio, & Fen.6.4.capit. de morsu viperarum docet vnicum præsidium esse vti multitudine alliorum, Galenus etiam plurimis in locis vocat theriacas rusticorum potissimũ lib.12. Metho.cap.8. Abensoar tamen maximus practicus, propter eandem rationem, quam superius assignauimus censet non esse ad vsum pro præseruatione pestis, quia generat humores adustos, quam sententiam tuetur Carthaginensis in lib. de febribus pestilentibus, solum ea ratione commotus, quia Abençoar fuit Hispanus, & habuit experientiam horum leguminum, sed pace tantorũ virorum melius possumus dicere cum Galeno lib.2. de facult. naturalibus cap. vltimo. vbi alia damnat cruda, sed cocta excellit, quia deponunt facultatem acrem & mordacem & facultas digerendi augetur, & veluti medicamentum celebre ab omnibus laudatur quare tempore pestis potissimũ agricolis, & his, qui eis vti consueuerunt si assa, vel cocta mandantur, celebratissimum præseruatorium erit pesti-

lentiæ,& hactenus de alimentis in pestilenti constitutione conuenientibus: de quibus omnibus legant curiosi Carthaginensem de febri pestilenti rubrica 4.capit.8. cum sequentib.

QVAESTIO IIII.

De exhibitione theriacæ gratia præseruationis.

DIsputant aliqui,an sanis hominibus theriaca competat,id est gratia præseruationis, ne à morbis pestiferis capiantur,& infectione corripiantur.Et quod hominibus sanis conueniat,clarè cõstat,quia cor corroborat, qua facultate prævalet,& munit cor ne offendatur à quouis veneno:quam sententiam cõfirmat Auic.lib.de virib.cordis, & Galen. lib. de theriaca ad Pisonem.ca.6,docet maximè prodesse theriacam in tempore pestilentiæ,quia securum hominem reddit à peste:& probatur,quia theriaca sua facultate,qua donatur alexiteria(quæ est à proprietate)absolutè agit aduersus venenũ, ergo præseruabit à veneno, & libr.1.de antidotis cap.1.circa fin.dicit Antonium scimus, qui vt tutum à veneno se seruaret, singulis diebus tantum theriacæ assumebat, quãtum magnitudo fabæ AEgyptiæ erat. At Auerr.lib.suo de theriaca expresse negat theriacã hominibus sanis cõuenire,dum dicit medicinæ quæ à veneno liberant, sanis corporibus veneficæ sunt, & probat isto argumento, nam si liberant à veneno si venenum nõ inueniunt,corpus destruunt, & ipsa venenum imprimũt, & cõfirmatur exemplo medicamentorum purgantium: nam sicuti exhibitis, ægris, causam ægritudinis auferũt,eadem ratione si sanis exhibeantur, corpora sana destruunt, ex Hipp.lib.4.Aphor.16.& ita Auerr.lib.5.collig. tenet bezaartica medicamenta sanis corporibus non conuenire, &

con-

consulit summa commendatione, vt magnates si sani sunt isto medicamento nõ vtantur, quia in grauissima pericula incidunt. Et affirmat se vidisse plurima mala cõtigisse ex vsu horũ medicamentorũ. Sed his tamen non obstãtibus verissima Galeni sententia est, ad præseruationẽ nos posse vti theriaca, vt locis cit. probat Galen. Vt vero argumentis Auer. satisfaciamus, aduerte, aliud esse medicamentum theriacæ ante fermentationem, aliud post fermentationẽ: ante fermentationem veneni particeps est, postea venenũ non est, quia vnica resultat virtus, quæ aduersus venenum agit in ea, vt probat Galen. lib. 1. de antidotis, cap. 1. & multò melius lib. de theriaca ad Pisonem cap. 10. in med. vbi docet Galenus carnẽ viperinã venenum esse, sed si amputetur eis caput, & cauda, veneni vim amittere, ita ingreditur cõpositionem theriacæ, vt cũ alijs medicamentis permixta potius aduersus venenũ agat, quam venenosum medicamentum sit, & ita negamus quod absolutè venenũ sit, sed alexitericum, quod est medium inter venenũ, & temperatum ex quibus colligitur, quod facilè aberret Carthaginensis, qui in suo lib. de febribus pestilentialibus fol. 19. insinuat solum theriacã exhibendam esse in lapsis corporibus nõ in optimè sanis, & temperatis incõsuetis, nam nisi tempore pestis aliquis assueuit theriacæ, imo quãtò fuerit temperatior facilius à peste capitur, vt patet in iuuenibus & pueris, qui cũ meliori & magis medio temperamento gaudeãt, frequẽtius ab in mani belua tentantur: vnũ tamẽ est cõcedendũ, quod in pauca quãtitate est assumenda, nõ quia venefica sit, sed quia plurimarũ dotũ sit cõpos, & in vsitatũ medicamẽtũ certè nocebit, & in hoc sibi ipsi Auer. aduersatur, qui cõcedit de theriaca habere vim cõfortãdi cor & esse venenũ: ꝙ repugnat, nõ solũ iudicio, sed sensibus, corroborari cor, & venenũ esse. Anvero eodẽ medicamẽto captis à peste liceat vti res dubia est, quia medicamẽ

tum plus iusto calidum est,& febrem adaugebit, quo argumento non obstante existimarem melius multo conuenire captis à peste,quàm sanis,quia theriaca firmat cor & corporis temperaturam immutat,& venenum vincit, vt multis rationibus probat Galen.lib.de theriaca ad pisonem cap.16.sed non possum non mirari nõnullos,qui audeant in febribus pestilentibus foris imponere theriacam tum iuxta cor,tum iuxta inguina nulla indicatione commoti, non distinguentes an habeat vim trahendi venenũ, vel repellendi,huiusmodi virtus potius prodest venenum depellendo,quia cum opiatum medicamentũ sit ex multis quibus componitur venenum trudit, vt refert Auicen. 6.4.quod si dicat carnem viperinam impositã prodesse, res distincta est à theriaca,qua de causa nec in epythematibus, nec in emplastris imponendã censerem,quia in apostematibus repercutit venenum in Epythematibus magis ad intima colligit,& certè in his tanquam à generosis remedijs cauendum in experientijs non vsitatis.

QVAESTIO III.

Vtrùm competat phlebotomia in hac febre.

ALIQVI existimant in hac febre non competere phlebotomiam, sed præmissa leui pharmacia potissimum quando accidit cum antrace,vel carbunculo,ita sentit Auicen.4.4.cum inquit,euacuatio quæ est cũ pharmacia,quæ educit humorem, vel phlebotomia prout fuerit humor, idem docet Auer.lib.7.collig.cap.3.& confirmant primo aliquando redundat bilis pura aduſta, quæ causat hunc morbum,ergo prius euacuari debet, iuxta illud etiam Auicen. caue ne ægrum perducas ad vnam dua

rum

rum rerum ad colerichorum ebolitionem, & ad frigidorum cruditatem: sed hac sententia non obstanti tenendũ in hac febre siue cum carbunculo, siue sine illo, ex quocunque humore proueniat, à sanguinis missione inchoandum quam conclusionem, primo probo authoritate Galeni lib. 11. Metho. cap. 15, cum inquit saluberrimum autem est, vt prædiximus nõ in continuis modo sanguinem mittere &c. itaque in continuis absolutè sanguinem mittit, in quibus non est dubitandum, est enim febris pestilens continens febris: præterea, quia statim in hac febre sanguis mitti debeat, quia quantumuis à maligna putredine ortum ducat, semper si continetur intra vasa per venæ sectionem melius curatur, quam per medicamenti purgantis exhibitionem, ergo in ea à sanguinis missione inchoandum, tandem deducitur isto argumento fortissimo ex Galeno & Hippoc. lib. 4. de victu acut. text. 21. illo ob sesa inflammatione, &c. docet ibi quod vbi æqualis necessitas sit sanguinis missionis, & purgationis, vt in herpete, carbunculo interiori à sanguinis missione inchoandum esse, ergo in hac febre continenti cum vtraque vacuatio sit necessaria à sanguinis missione inchoandum est, nec refert si quis dicat, quod ferè oẽs neoterici sentiunt in hac adesse virium langorem, & plus iusto imbecilliores reddi, nihil obstat, nam vbi talis contradictio apparet, vt ex vna parte virtus, ex altera magnitudo morbi, cum vtrisq; pugnandum curatione per Epicrasim, vt refert Galenus lib. 9. Metho. capit. 11. partim vacuando, partim virtutem reficiendo, & ita sentit AEtius tetrab. 2. serm. 1, cap. 95. nec aduersus nos facit declamatio Valeriolæ, qui dicit, tot annorum experientijs constare, in pestilenti constitutione, quibus omnibus sanguis detractus fuit morte fuerunt oppressi, potuit contingere duabus de causis, vel quia statim à principio sanguis detractus nõ fuit. Secunda causa, quòd

elapsæ fuerũt vires, & in his quibus à principio omissa fuit talis euacuatio accelerat mortem, vt egregiè deducit Saua narola, in suo tract. de febre pestilenti capit. proprio, & in his, in quibus dimissa fuit multis cucurbitulis vti est necesse vt omnes antiqui tam Græci, quam Arabes affirmãt, vt foras venenum auocetur cum scarificatione, vel sine illa, vt dispositio corporis expostulauerit, quæ vero vena in hoc morbo secanda est, an basilica, vel cephalica, vel maleoli, vel tali? diuersi authores diuersa sentiunt, sed breuitatis causa, quæ commẽdatur scribentibus, potissimum in his casibus, in quibus citò & tutò & sine dolore, procedere oportet, iuxta mentem Galeni lib. 14. Meth. c. vltimo existimarem si tumor pestilens existat sub axilijs, ex basilica faciendam phlebotomiam, si retrò aures ex cõmuni, si in inguine ex crure oppositò, quæ sententia Galeni est multis locis potissimum lib. de sanguinis missione cap. 16. lib. 13. Metho. c. 5. & sæpè aliàs. in qua euacuatione iterum moneo, vt fiat in principio, & in pauca quantitate, & viribus ferè integris.

QVAESTIO VI.

De sudoris prouocatione.

QVESTIO erit, in febre pestilenti, vtrũ liceat sudorem prouocare, est enim tam cõmune remedium hodie in febribus pestiferis, vt nullum hodierna die remedium magis ad manus habeãt medici. Sed an prouocatio sudoris, cum ratione conueniat, videndũ est: nam nõ videtur conuenire, & quod cum ratione non conueniat probatur, quia per sudorem tantum subtile, & nõ crassum recrementũ repurgatur, & per consequens talis vacuatio huic morbo non põt satisfacere. Secũdò probatur, quia in isto

morbo

morbo nullus grauissimorũ authorum meminit talis euacuationis, nec Galenus, nec Paulus, nec Abenzoar, nec alij viri peritissimi, ergo non videtur cõuenire. Et quãuis argumentũ ab authoritate negatiua sit floci pendendũ, in tãto morbo vbi oẽs exquisitũ remediũ ꝓcurarũt, certũ est non esse tradendũ obliuioni. Tertiò ꝓbatur, quia inter oẽs euacuatiões, quas in ęgris cõmẽdamus, illa minoris momenti est, quæ fit per sudorẽ, vt inter oẽs vacuationes vltimũ locũ teneat, docet Auic. 2. 4. tract. 1. c. 1. & c. 6. 4. & adeò infimã iudicat istam vacuationẽ, vt dicat inferiorem esse in iudicio criticationis quã, ea quæ fit per exiturã, vt ipse docet c. 68. loci cit. quid ergo in hac difficultate breuissima sit dicendum, certè res dubia est: quidã meritissimus Carthaginensis existimat maximè conuenire sudorem, quia cõstat ab experientia communi, sed nos ratione probamus, quia sudor euacuatio vniuersalis, ergo si habeat omnes conditiones bonæ crisis proficua erit, sed respondet Auicenam fuisse Africanum, & non Hispanum. In Hispania est conuenientissima sudoris vacuatio, sed hæc responsio non placet, quia etiam si Hispani alimentis vtamur delicatissimis, tantùm indulgetur voracitati, vt crassitudinem alimentorum Africanorum superet: melius est, vt respondeamus cum Auicen. eodem loco cap. 25. Auicen. sententiam limitandam esse in morbis acutis cum apostematibus malignis, in quibus legitima, & maximè conueniens est euacuatio, quæ fit per sudorem, vt ipse docet cap. 25. citato. à quo desumpsit Cornelius Celsus libr. tertio. cap. septimo. vbi docet auxilia duo subuenire pestilentiato, frigidæ exhibitio vsque ad saturitatem, & vomitio, quo facto cooperiendus, vt sudor emanet à toto corpore. Idem colliges ex Auicenna quarta, quarti capit. de carbunculo, ac perinde maximè conueniens est euacuatio per sudorem facta, quibus medicamentis breuissimè audies si legas

peri-

peritiſsimum Carthaginenſem, qui lib. 1. de febre peſtilen tiati tract. 5. cap. 6. in rubrica. 1. elegantiſsimas ſaluiæ compoſitiones habet, pro vere, hyeme, æſtate, quem authorē volui adducere, quia ex penitiſsimis locis, & abſconditis tradit huiuſmodi compoſitiones, & grauiſsimi authores de hac re paucam mentionem fecerunt.

QVAESTIO Vltima.

De purgatione.

VTRVM competat purgatio in hac febre non minor difficultas eſt, in qua grauiſsimi authores fuerunt controuerſi, & in ea duo erunt articuli, primus erit an in peſtilenti febri competat pharmacum deiectoriū. Secundus articulus erit, an fortè vel debile medicamentum conueniat, circa primum articulum breuis erit ſermo ſi dicamus manifeſtè competere medicamentum purgans, vt corpus à ſuperfluitatibus emundetur, docet Galenus libro primo de differentia febrium. 4. & melius libro ſecundo de natura humana, textu 10. Paulus libro ſecundo, capit. trigeſimoſexto. in quo articulo oportet ſemper cum conſilio Galeni 6. de ſanita. tuend. capit. quarto. procedere inſpecta ægrotantis temperie, & conſuetudine, vt in aſſuetis & optimè temperatis à electiuo medicamento cuiuſcunque conditionis ſit fugiamus, etiam conſiderandum: ſecundo quod Manardus libro decimotertio. Epiſtola tertia. monet, vt ſi poſsibile ſtatim initio medicamentum purgans exhibeamus, ne venenum plus iuſto interiora peruadat, quæ duæ obſeruationes maximè aduertendæ ſunt, in vtroque articulo. Circa ſecundum articulum grauis diſceptatio eſt, plurimi ſunt, qui exiſtimant pharmacum fortè conuenire, & probant duabus rationibus.

bus. Prima ratio est, quia extremis morbis extrema remedia sunt applicanda, & forti tanto morbo medicina fortis exhiberi debet. Secunda ratio in hac febre maximè cauenda est irritatio, commotio, exagitatioque ne humores exagitati, & non trusi, cor, & partes principes magis offendant, sed medicamento debili magis humores irritantur, ergo à medicamento leui fugiendum. Cuius sententiæ fuit Abenzoar tertio Teesi, capit. quarto. tractatu tertio. quo instituit pharmaca horribilia. Idem Auerrous libro septimo, colliget capit. trigesimoprimo. quam sententiam secutus fuit Gentilis in consilio de peste, qui irridet medicos, qui debilibus medicamentis vtuntur, nam in hac febre conuenit, quam citissimè humores à corpore trudantur. Quam sententiam multi ex posterioribus secuti sunt. Sed hac opinione non obstante sentirem meliorem sententiam esse eorum, qui dicunt debilioribus, & clementioribus medicamentis faciendam esse vacuationem, cuius sententiæ fuit Nicolaus & Dynus de Florentia, tertia, quarti. supra Auicenna. Et primo probant authoritate Auicennæ capit. citato. de pestis curatione, vbi docet summam curationis esse exsiccationem, quo in loco per exsiccationem intelligit leuem purgationem: iuxta illud prima quarti, tractatu secundo, capit. septimo. vbi dixit postquam exercueris canones prædictos secundum sententiam exsiccationis, & minorationis, &c. quibus suppositis his rationibus breuissimis probatur. Primo, quia pharmacum fortè venenum ad partes interiores trahit. Secundo, quia si forsan non purget, necessariò in veneni naturam conuertetur, & quamuis purget, venenum auget, quod non contigit clementiori medicamento. Tertio, quia per huiusmodi medicamenta timetur excessiuum ventris profluuium, quod in febre pestilenti valde timorosum est: ra-

tionibus vero alterius opinionis facillimum est satisfacere: si dicamus, non tam debile medicamentum esse exhibendum, quod non sit fortè, veluti syrupus de nouem infusionibus cum cassia: quibus facili negotio pestilens causa deponitur, sine noxa, quæ vero ab his medicamentis excedunt nocua, & timorosa sunt, cum qua quæstione Secundus Tractatus concluditur

ad laudem Dei omnipotentis

Iesus Mariæ filij.

TERTIVS TRACTATVS DE CHIRVRGIA.

PLACVIT etiam querimoniã non nullã de Chirurgia afferre, quòd existimarem, etiam perfectum medicum de his non debere esse ignarum, iuxta Cornelium Celsum libr. 7. de qua parte, tam dignum se iudicauit Hippoc. vt fatetur Galen. lib. 6. Metho. vltim. propria manu illam exercuisse. Sed quid dico de Chirurgiæ opere, quæ ad vulnera, & ad vlcera pertinet, Algebræ artem professus est, quam nec hodie Medici inspicere volunt, propter quod hodie quam plurimi errores insolubiles contingunt, sæpè vidi viros Medicos peritissimos in conspectu impostorum nihil plus plebe intelligere, tacendo, nec de luxationis forma loqui, siue bene, siue malè, restitutio fiat non curant, & quòd magis est, nulla facta dislocatione, coguntur, cum in peritis assentire, non solum propter ignorantiam Anothomicæ partis, sed propter imperitiam librorum Hippocr. qui de hac arte tractarunt. Adeo vt aperitis Medicis, nec vlla linea notata intelligatur. Vnde increbuit vsus vt non commendetur hoc opus ipsis Chirurgis, sed Lyppis, tonsoribus, textoribus, qui olim Tesalum insequebantur.

QVAESTIO I.

De vulneribus capitis.

PRIMA (Deo duce) erit quæstio, vtrùm in vulneribus capitis competat futura? quam quæstionem à me à pueritia adeò obseruaui, vt edoctus à Chirurgo peritissimo Solesio, qui plurimos in hac arte creauit discipulos: præside, assistenteque peritissimo meo professore Alderetio Doctore. Cuius anima requiescat in pace, in celebratissimo gymnasio Salmanticensi, defendi, pro alijs & focis. In qua quæstione duo sunt examinanda. Primum vtrùm sint suenda, sine vulnere cranei, secundum est, an etiam ciso craneo non vltra diaploidi, id est vltra secundam tabulam, liceat suere vulnus? certè circa primum articulum non est dubium nisi quòd sit suendum vulnus, etiam si non desint, qui timeant scisione peri cranei, quo ciso plurima inconuenientia sequuntur, quæ exigui momenti sunt, si conferantur, cum noxa aeris exterioris à quo valde craneum distemperatur. Ex quo plura mala accedere solent, vt erisipelas cranei liuores. Proinde ad secundum articulum accedendo. An cum cranei fractura liceat suere dum modo secundã tabulam, non transcendat, videndum est: quam quæstionem præter Anselmum Guidonem proprijs capitibus, disputauit. Alcaçarensis noster, qui pro firmo tenet, in casu proposito, vulnera capitis suenda esse, etiam si lamina cranei cisa sit, quam opinionem probat, primo authoritate Hippoc. lib. de vulneribus capitis, & Galen. lib. 6. Metho. cap. vltimo. & lib. 2. de composi. per locos cap. 3. & ex Paulo lib. 6. c. 9. quam futuram ita docet moliendam esse emisario facto in parte inferiori, quãuis operatione manuali, in parte sana fiat, à qua regula excipitur primus casus, si vulnus fiat cum cõtusione, per locum Hippoc. lib. de vulneribus capitis, quia

in omni

in omni contusione, fieri saniem oportet, & sanies per cranei futuram euitatur & impeditur facilè. Secũdus casus est si os cranei non facilè dimoueatur, quia si indiget rasura, quamuis emissarium, fiat semper inter os & os pus detinebitur, quo detento necessario, non solum indiget emissario, sed pateat vulnus est necesse, & in hoc parcat peritissimus prædictus Alcaçarensis vir, qui oppositũ huius subsistuit: non videns, quòd non licet futuram facere, vbi rimula remanet, nam quãuis sit superficialis, facili negotio pus ibi contentum è directo non inueniens exitum, inferiora corrũpit, à quo si plurima chirurgię accepi potius cum antiquo Solisio consentio, qui nunquam talia vulnera consueuit. At si portio crani leuiter extrahatur, vt ipsum craneum læue à vulnere relinquatur, ita vt ense factum sit, quòd debebat fieri instrumento rasorio, vel trepano. Et hanc obseruationem obsecro, vt habeant omnes chirurgi in qua non aberrabũt. Tertius casus est, si nõ sit in summo capite, in quo si non sit vulnus magnum vel extensum nõ est suendũ. Quartus casus est si sit in futuris & prora capitis vel in capitis parte alta: qui casus notandus est nisi magnum fuerit vulnus in quo ne fiat maxima spirituum resolutio, oportet: vt secundum partem suatur iuxta validum chirurgi consilium: vt docet Auicen. 5. 4. cap. proprio de fractura carnei. Aliter vero neutiquam suendum vulnus futuræ & in prora capitis existens. Quintus casus est, si sit in temporibus (in his partibus periculosissimum vulnus est, vt docet Galen. ex mente Hippoc. libr. 11. de vsu part. cap. 3.) propter quinque pro pagines neruorum quas suscipit ex septem pro paginibus neruorum, de quibus libr. 9. de vsu part. capit. 13. & sępe alias, in quo vulnere conantur, aliqui formare futuram, solum quando vulnus per medium tendit, vel ab aure ad frontem: & non quando secundum longitudinem tendit, videlicet, quando à maxilla ad

superas peruadit, cuius discriminis causam non intelligo, nisi dicat ratione fibrarum musculorum, quia per suturam secundum latitudinem melius apprehenduntur, & colliguntur, vt motus restituatur: sed hæc euasio est, potiusquã responsio, quia magis existimandũ est periculum ex parte neruorum, quòd ita vrget in vno, sicuti in altero casu: præterea etiam si per superiorem partem scindantur, motus musculorum non deperditur, etiam si non fiat sutura, quia aligantur vsque ad vltimam partem maxillę superioris, qua ergo de causa tumorosa est suitio musculorum temporalium præcipuè, quòd siue vno modo, siue altero fiat suitio, semper neruis obuiandum erit. Quòd si quæras quare Galen. vulnera temporum perforare nõ sit ausus, si os cisum sit, non intelligo causam fuisse neruorum horum plurimorum prouentum, sed quia ea parte plus iusto hæc ossa compressa sint, durę meningi valde vnita conspiciuntur, vnde in inferioribus maximè hæmorragia timetur, & ex ligamentis prædictis, & ita finis primæ quæstioni imponitur.

QVÆSTIO II.

De vulneribus capitis.

VTRVM in vulneribus capitis, in quibus fit compressio & vibratio cranei: craneum vibratum sit eximendum rasorio, vel ibi relinquendum? talis casus contingit pueris & mulieribus iuuenculis, huiusmodi cranei vibratio propter ossium mollitiem, quæ si recipiant cõtusionem cedendo intus retrahuntur, veluti contingit dolijs ex perpulito & extenuato metallo factis, de hac compressione quæritur, quid sit agendum in ea? fuerunt non melli & sunt, qui in hoc casu conantur per rimulam os ipsum eleuare, & aliquando laminas plumbeas aureas pro magnatibus

tibus parare, nescio qua intentione nisi, vt dicatur illud Psalmi, Onus grauati sunt super me &c. non aduertêtes, q̃ tanto oneri, nec depressum os restituere, sed ad interiora magis trudere, & citius alia multa mala conciliare. Alij fuerunt qui conantur os ipsum radere, & rimulam parare, vt facta rimula, facilius instrumento eleuatorio paulatim eleuent: sed quamuis hi non multum videantur aberrare, quia forsan non instructi sunt præceptis antiquorum: venia indigent & correctione, & non increpandi. Pro cuius quæstionis dissolutione. Aliqua sunt præmittenda, quot fuere authores antiqui, qui de hoc genere vulneris mentionem fecerunt fuit primus Paulus lib. 6. capit. nono. quod genus vulneris flasim appellauit, Aliabas inter Arabes nono practicæ, sed isti authores tantum annotarunt, & non insinuarunt modum curationis. Secundum documentum est, quòd aut istud symptoma accidit cum vulnere, vel sine illo. Tertium est, vel vibratio ista est primæ tabulæ, vel secũdæ nulla facta lęsione in prima, quòd raro accedit, & difficiliter cognoscitur, & curatur: de qua egregium caput noster Alcaçarensis in sua chirurgia in capit. vigesimoprimo. tantum ergo de primis duobus casibus fermo est, quando est in diploidi exteriori, cum vulnere, & sine illo. Cui ergo querimoniæ, ita satis faciendum: si compressio cranei, cum vulnere contingat factis omnibus euacuationibus necessarijs cucurbitula abrasa cute vtendum est sine scarificatione: quæ ita debet applicari, vt applicata nõ statim, sed mora interposita subito & violentia eleuanda, his addendum præter omnium mentem, vt minimè applicetur cũ stupa, duabus de causis: primo ratione vulneris labiorum: secundo vero, quia si craneum sit discoopertum cum peri craneo maximè ab igne offenditur, docente Guidone capit. proprio de vulneribus capitis.

Applicari

Applicari ergo debet cum candela cerea. Secunda conclusio huius præsuppositi erit, si cranei compressio fit sine vulnere, facta conuenienti euacuatione, saltem per sanguinis missionem, & tumore cutis aliquantulum remisso, per medicamentorum digirentium applicationem, cucurbitula applicanda est, supra locum depressum abraso capite, cum stupa, eodem modo, vt supra diximus. Vnum tamen non prætereundum erit, quòd si compressio antiqua sit, & non maxima, relinquenda erit, vt iacet, quia sine noxa visum est, sæpè optimè viuere: si tamen fuerit magna prius illinito craneo, vt cedat medicamentis emollientibus applicanda erit cucurbitula.

QVAESTIO III.

De vulneribus capitis.

VTRVMciso craneo & facto vulnere cranei penetrante, vsq; ad secundam tabulam sit radendum, vel manifestandū? quòd attinet ad primam tabulam, superius dictum est: de vere penetranti sermo est. De qua quæstione nihil volumus dicere, quia satis superque aperito Alcaçarensi dictum est in tract. de vulneribus capitis, in cap. 15. solum vnum scrutatione dignū est: cur in vulneribus nulla læsione exterius existente, nec capillacea, ne rimulosa in vulneribus capitis quibusdam septima die, quibusdam octaua, quibusdam nona, vel accidentia penetrationis cranei appareant, & an signa aliqua nobis possint offerri, quibus hæc noxa manifesta fiat. Ante aduentum symptomatum scrutandum. Hæc enim vulnera sunt, in quibus chirurgi solent deficere, & apud vulgus malum nomen adipisci: quantum ad primum quæ sit causa huius contingentiæ. Certè à nullo hucusque tacta est, & res mira est,

quo-

quomodo tanto tempore malum occultari posſit in parte principe & vbi quęuis lęsio quod bis malum neceſſariò cẽ rebrum ipſum offenſurum eſt. Quantum ergo ad hanc partem attinet coniectura à ſequimur hoc malum paulatim augeri & fieri, quia aliter impoſsibile eſſet ſine manifeſta noxa cerebri, ac proinde ſine dubio fit, quia, aliquod vas tenuiſsimum, ex his quibus dura menix à ligatur cranio patitur à ruptionẽ, à quo cum paulatim ſanguis emanet non ſentitur noxa niſi per tempus, quo ſuppoſito reſtat, quod reliquũ eſt ſpeculari. An ſint ſigna quibus hæc conſequi poſsimus, nam neque vomitus nec vertigo, nec caligo, nec oculorum rubor, nec vomitio: & quòd magis eſt, nec ſi filum dentibus maſticetur aliquem ſenſum doloris ſentit: in qua difficultate ſolus Cornelius Celſus loquutus eſt lib. 8. cap. 4. ne vehementiſsimis cõfuſionibus, ex forti ictu, vel caſu: ſed pace tanti viri, nec ſignum, nec remedium aliquod nobis præſtitit: ſed tantum ſignum lethale rei huius nobis præcepit, poterat aliquis dicere cum Cornelio lib. 8. citato, vbi peculiare inſtituit medicamentum an fiſura interius penetret, dicendo, quòd ſi directo ſuturæ medicamentum exſiccetur, clara eſt penetratio ad intima, ſed quamuis hoc potiſsimum debeat intelligi de graui caſu cum rimula facta cum craneum poroſum ſit nullo facto veſtigio poterit ſiccius reddi quam oportet, ſed hoc læuiſsimum ſignum eſt, vt in hoc fidere poſsimus. Quid ergo dicendum, aut quo ſigno hoc ſcrutari poſsimus videndum eſt, an patiens forſan magno ictu per cuſſus fuerit, quia in tali caſu ſolet contingere. Secundo an ſtatim vulnere accepto ſanguis p nares, vel auditũ exierit ſi forſan hoc expulſo nullum accidens ex prædictis cõtingat timendum eſt, de ruptione interioris vaſis, nam ſi accidant certum eſt malum pro foribus adeſſe, & ſi hoc concomitetur vulneris ſiccitas, certiſsimum indicium eſt, ℞

malum intus latet, quam difficultatem subumbratam volui adducere, quia si antea intelligatur malum latens, forsan poterit corrigi: minimè tamen si post diem criticum septimum, vel nonum, quia pessima ista est terminatio curationem non admittit: quòd reliquum est de fractura cranei egregiè à prædicto viro & Argelata, Ioanne de Vigo, & alijs neotericis disputatur.

QVAESTIO IIII.

De vulneribus capitis.

AN liceat in vulneribus capitis, cuiuscunque factionis sint, vti digestiuis (quæ vocant) vel medicamentis ex digestiuo factis, cum oleo rosaceo, in quorum vsu grauissimi errores cõtingunt, certum est, hæc omnia suppurationem commouere, quia partim ex astringentibus, & emollientibus componi debent: ista sunt suppurantia, sed talia emolliunt vlcera, ergo his vti non oportet: totum absumptum patet per Galen. lib. 3. Meth. c. 4. & sæpè alias, idem lib. 4. Meth. c. 1. melius multo insinuat Gale. in hoc casu in omnibus vulneribus capitis lib. 6. Meth. ca. 6. dum inquit, à principio vsq; in finem, siccis medicamẽtis vtendum, quæ cephalica vocant, & ratio dictitat, nã qñ vulnus vel vlcus iuxta os est, siccis magis medicamẽtis vtendũ. In contrariũ tñ stat Paulus lib. 6. c. 90. qui laudat oleum rosaceũ his verbis, nihil æquè, vt oleum rosaceũ, ita dolores in flãmationes meningarũ sedat: quod idem insinuauit Auicen. 5. 4. tract. 3. c. de fractura cranei, idẽ Gale. cõfirmat lib. 2. de cõposi. per locos ca. 1. in titul. quæ cõscripsit Archigines ad dolores cũ plaga factos. Cui quæstiõi ita possumus satisfacere nõ semper euitãda hęc digestiua, sed solum vbi per primã intentionẽ volumus cõsolidare, cuius contra-

rium

rium hodie faciunt chirurgici: in his enim solum aglutinã tibus vtendum, factis cum oleo omphãcino, ex lib. 6. Metho. capit. 6. sed si sit maximus dolor, vel inflãmati vrgeat, vel contusio, ab his non abstinendũ per aliquot dies, quibus ratione olei vtendũ cum terebentina, si timor hæmorragiæ non sit, & cum oleo omphacino, quod commendat Galen. lib. Meth. & lib. 2. per locos cap. 1. in titu. præfato: ac proinde & si plurima aperitis medicis cõmendentur, nisi hac via fiant, plus iusto humectant, poterit fieri vt oleum rosaceum ex oliuis immaturis prius fiat, volo dicere, vt fiat ex omphacino, sic enim vtrique prospicitur.

QVAESTIO I.

De vulneribus neruorum.

AN vulnera neruorum sint suenda, hoc est, ipsi nerui cæsim vulnerati suendi sint: controuersia gratissima est, & ferè ab omnibus chirurgicis malè intellecta. Vt ergo cõtrouersiam hanc disputemus, necessarium esset naturam neruorum in præsentiarum proponere, quæ ex substantia cerebri, & ambabus meningibus constat, & quomodo sensum & motũ à cerebro deferant omnibus partibus: vt faciunt multi chirurgici, qui cum de officio gerant curationes neruorum ostendere, ad altiora eleuantur, vt empiricis fabulam narrant. Sunt plures neoterici, qui sentiunt neruos transuersim scisos suendos esse, & probant istam suã opinionem multis rationibus, & authoritatibus. Primo probant authore Auic. 4. 4. c. de vulner. neruor. & Guidone probãt authoritate Guiliel. de Saliceto, quibus adductis. Primo pbãt rõne hac, nã si vulnus nerui pertimiscẽdũ esset per futurã maximè, quia nõ admitteret aglutinationẽ per primã intentionem,

tionem, quia pars ſpermatica eſt: ſed hoc non eſt pertimiſcendum, ergo ſuendi nerui, patet minor per Galen. lib.5.Metho.cap.7. & cap.8. Secundo probant hac ratione, quia Galen.ſuit.neruoſas particulas per partem magis neruoſam,& membraneam,ergo nerui ſunt ſuendi antecedens patet ex Galen.lib.6.Meth.cap.4. in vulnere ventris. Tertio probant ex Galen.lib.artis medicinalis.cap.90.vbi Galen.eam formam vacuationis in neruis ſolutis, ac in reliquis partibus oſtendit, ergo ſicuti per punctura reliqua vulnera curantur,eodē modo in ſolutio cōtinui in neruo. Quarto probant,quia in vulnere neruorum timendus eſt caſus in fluxus facultatis animalis, ſeu vt verius loquamur priuatio facultatis animalis: ſed ſi non aglutinetur in totū timebitur, imo præpedietur facultas ſenſitiua, & motiua, ergo melius multo erit vt ſuatur: quibus rationibus ſuam iſtam opinionem confirmant, & tam veram exiſtimant vt nulla probatione indigeat, & proferunt plurimos caſus in quibus neruos conſuerunt, quam opinionem peritus Alcaçarenſis probat,cū quo (& ſi amico)lis habenda ſi mul cum alijs chirurgicis:& ita iſta opinione non obſtante,cenſeo nulla prorſus ratione neruos ſuendos eſſe, quam publice defendi in gymnaſio noſtro adminiſtrationis anathomicæ,hanc veriſimam opinionem, tenet amicus noſter Largelata,in capit. proprio.de vulneribus neruorum, & eandem defendit Dynus Florentinus, tandem probatur per Galen.lib.6. Meth.cap.2. vbi nullam mentionem fecit ſuitionis neruorum,nec in lib.artis medicorum c.90. quòd argumentum,& ſi parum ſtabilire meā ſententiā videatur,quòd colligitur ex ipſo Galen.eſt lib.artis med.capit. 92. vbi docet in neruorū puncturis hoc vnum expetendum eſt,ne pus intus remaneat, quòd putrefaciat neruum,quod ſi dicas diuerſum eſſe vulnus punctum à neruo cæſim vulnerato, certum eſt. quod per ſuturam punctum

ctum remanet & vulnus occlusum. Præterea ipsemet Galen. in frontis pitio capitis paulo inferius, inquit, quia idē volumus in vulneribus simplicibus intelligendum earum partium, quasi diceret siue sit simplex, siue compositū eodem modo curari debet, ergo non in omni modo vulneris neruorum sutura est admittenda. Secunda ratio talis est, quia omnis nerui punctura dolorosa est, & maximè timorosa: sed consuto neruo fit nerui punctura: ergo non est admittenda talis sutura. Sed respondent huic rationi aduersari, quòd in ista punctura remanet via per quam ichores expurgentur, non videntes quod non solum hoc timetur, quod necessario timendum: quia consuto neruo, partes superpositę simul consutè remanent, quod magis timēdum est de neruorum substantia puncta, quę in se lethalis est. Tertio probatur, quia ex sententia Galen. libr. 3. Meth. cap. 9. symptoma vltimum, quod neruis vulneratis potest contingere, est, vt neruus vulneratus cæsim remaneat, ex vna & altera parte per filum pendens: & tantum vna fibra remaneat: tunc minatur periculum conuulsionis, ergo si fibra extranea, & omnino præter naturam à chirurgo apprehendatur, citius excitabitur conuulsio. Et proinde præcipit Galen. vt omnino præscindatur, quia melius est, vt claudus relinquatur quam in discrimen vitæ trahatur, & ita Hispanè dicitur, *mas vale coxo que muerto*. Præterea in casibus quos ipsi enarrant non pudere debebat priuatum nobis aliquem ostendere tales enim in opere chirurgo fidem maximam exhibent: vnum tamen dico si viueret & meminisset cuiusdam casus, vnus ex peritis chirurgi corum rostris, in nostram opinionem venire conuincere tur & talis fuit casus scholasticus quidam nomine à Costa (qui vt optimum exemplum sui prodiret) monasteriū ingressus Diui Augustini. Antea quam ad vitam monachalem accesserit vulnus magnum in tali regione per partem

interiorẽ accepit per quam neruus tendit à crure de latus, in quo grauissimi erãt dolores: peritissimus tamen chirurgus cum promisset non solum suendum esse vulnus, sed profundè suendum fore, vt simul sub futura neruus apprehenderetur, profundam futuram (me renuente) fecit, qua facta. Altera die cum vehementissimo dolore crutiaretur, vt velit nolit punctura soluit, qua soluta per noctem integram obdormiuit æger, ergo certum est in causa fuisse punctura nerui. Alium casum poteram enarrare nisi molestus essem: sed prædicto viro maiorem molestiam inferam, si illum de contradictione redarguam, nam ipse libro secundo, capit. primo. de vulneribus neruorum. vbi tenet in neruosarum partium vulneribus iuxta iuncturas, cauendam esse futuram profundam, ne obuiemus finibus neruorum: quam doctrinam insinuat Rasius libr. decimotertio, continentis capit. 6. ergo si in hac timenda futura est: vbi sunt ligamenta, quæ sensu carent & ob id minus molestię inferunt, quanto magis timenda in solo neruo nudo: sed quid cum his rationibus contendo, ostendam ipsa nerui substantia, quæ cum intus molissima, solum partibus exterioribus apprehensa remanebit: & sic etiam si aglutinetur longa remanebit cicatrix, aut non aglutinabitur. Consequens est, vt ad argumenta, alterius opinionis depellenda paulatim soluendo incedamus. Ad authoritates virorum Arabum, & Græcorum possumus dicere per neruos intelligere tendines tales optimè sui possunt, iuxta sententiam Galen. lib. tertio, per genera capit. secundo. vbi veretur non solum neruos suere, sed tendines, & ipsos si suit, simul profundè cum carne omnes partes Albicantes proprie neruosæ dicuntur, & ita Guido. clarè insinuauit capit. de vulneribus tendinum, quæ, cordæ dicuntur. Ad secundum argumentum dicendum est, quòd in futura vulnerum non timetur aglutinatio, sed

tio, sed quædam conuulsio vniuersalis, & eodem fit satis secundo argumento. Tertio vero cauillo possumus dicere, Galen. intelligendum lib. artis medicinalis, de applicatione medicamentorũ localium alias sibi ipsi repugnaret: & ita ad quartum dicendum, cum Galen. lib. 3. Meth. c. 9. melius & tutius esse, vt neruus insutus remaneat, quàm periculum quod timetur ex sutura, præcipuè quòd consutis partibus exterioribus, facili negotio interiores commodè trahuntur, & glutinantur.

QVAESTIO II.

Perutilis & breuis.

VTRVM cum nerui punctura, si fluxus sanguinis adsit quãdo maxima hemorragia adest astringentibus sit vtendũ? & vero astringentibus non sit vtendũ, constat ex Galen. lib. Meth. cap. 2. vbi docet in leniendo dolore his medicamentis vtendum esse, quæ tenuium sint partium, & minimè præpediant puris exitum, tres enim intentiones sunt in curatione horum vulnerum vt dolor mitigetur, & pus extrahatur, & vt telum infixum dimoueatur, ac proinde cauendum est ab vsu rosacei, myrtini, & oleo lumbricorum, quod ex oleo rosaceo confectum est. Præterea inter omnia accidentia timorosa, & magis extimanda, dolor est: sed dolor non medicamentis astringentibus, sed modicè digerentibus lenitur (de quibus longum sermonem Galen. constituit loco cita.) ergo astringentibus vtendum non est in omni casu punctura nerui: sed altera ex parte contrarium apparet, quia fluxus sanguinis periculosissimus est, & accidens, quòd magis vrget: quia citius eo durante amittitur vita, quam si vexet dolor importunus, ergo prius fluxui succurren-

curandum: & ita quando duo accidentia opprimunt, vrgentiori succurrendum est, teste Galen. lib. 3. Meth. cap. 9. & lib. 7. Metho. cap. penultimo. propter quam cõtradictionem existimant aliqui, vt non cessante, medicamentis circumpositis fluxu sanguinis, fiat ligatura laquealis, id est sutura fiat, quæ fit cum laqueo, id est lintheo & supra filo consuto, huiusmodi remedium prorsus detestandum est: quia non solum labia vulneris cingit, sed omni ex parte impedit fluxum materei: oportet ergo quoties in talibus oppressus chirurgus est: vt ita vnius symptomatis curationẽ dirigat, vt alterius non obliuiscatur, melius ergo erit si astringentia posita circa partem non profecerint vti cauterio ignito, quod simul dilatat vulnus, & vas obturat, & quia fluxus reddire cito potest per medicamentorum applicationem quæ faciunt maiorem & ampliorem locum solum per aliquot dies tutum erit vti propoli, cum melle rosato collato, vel lacte ignito, & his non nisi paucis diebus, & hæc de vulneribus neruorum.

QVÆSTIO. I.

De vulneribus thoracis.

PRIMA erat à nobis excogitanda quæstio vtrùm vulnera thoracis suenda sint? quam quæstionem cum præ reliquis ex mente antiquorum peritissimus Alcaçarensis disputauerit ab ea supersedendum, ne videamur scripta transcribere, transuasatorum more, sed vnum inquisitione dignum erit, vtrum vulnere consuto thoracis, si nec maxima copia sanguinis intro recluſa maneat, & nec aliquod membrũ ab interioribus percussum sit, liceat pro mundificatione thoracis vti medicamentis detergentibus dilutis, vt decoctis,

ctis, vt tum excreando, tum per vrinas vacuando suũ opus compleant. Tales enim humores facilè per vrinas expurgari possunt, docente Galen. lib. 6. de locis, capit. 4. & Auicen. 13. 3. tracta. 5. capit. de empiemate. Multi ex neotericis existimant eis posse vti, vt citius per prædictas vias vacuationes molliri possint: sed pace tantorum virorum ista sententia non arridet. Primo quia nullus antiquorum his vsus est medicamentis. Vt apparet ex Auicen. 4. 4. tract. 1. ca. 2. cum inquit, & prohibitio humiditatis cum administratione exsiccantium confert plurimũ. Ista medicamenta quãuis potentia habeant facultatem subtiliandi sunt plus iusto humida, & sic si in forma apocematum exhibeas plures humiditates comparant, vnde est, vt Auicen. 13. 3. citato. in impiemate laudet alimenta glutinosa, vt saccarum rosaceum, & extrema animalium, vt sanguis glutinosior reddatur, nec ad partem læsam perueniat: cuius curationis, ratio potissima est, quia alia via his malis remedium reperiri non potest, nisi auferendo cursum humiditatum, & ideo saccarum rosaceũ impense his commendatur, & pro vnico remedio habetur: eruntergo medicamenta proficua oximel, cum syrupo violaceo, vel cum syrupo nenuphari no, aduerte vt oximel sit in pauca quantitate: nam quãuis tussi expelli debeant, ea quæ in capacitate thoracis cõtinentur, non perpetuo tussiendum: ne dilacerentur partes thoracis, quia quamuis in alijs egritudinibus maximè conferat tussis propter solutionem cõtinui non semper ortãda.

QVÆSTIO. II.

De vulneribus thoracis.

SECVNDO ergo satis peregrina à nobis disputanda se se offert, de modo impositionis lineamenti, vel

torundæ, quam mechulam appetant, tam in parte superiori, quam in parte inferiori thoracis: omnes ocusque existimant esse imponendam non inspicientes motum pulmonis, à qua per suam dilatationem impediri debent pulmones, & ob id quidam & merito in partibus superioribus obtusam & rotundam mechulam imponendam esse censent, in inferioribus vero magis longam, quia ibi pulmonis motum non impedit. Pro qua opinione multos casus enarrant, in quibus propter appositiones mechularũ plurimos obisse suspicantur: sed istorum pace censerem semper tentam breuem esse imitendam, sed magis breuem inferioribus, quam in superioribus, duabus de causis, prima causa, quia lædit radices neruorum, qui sunt prope spinam, secunda & magis principalis est, quia ibi propè costas spurias magis propinquum septum transuersum est, ratione cuius timorosa est, horum lineamentorum positio, & proinde magis increpandi sunt chirurgici neoterici qui tantas plumbeas imponunt, è quorum positione, vidi in his vulneribus septima die accidentia mala peruenisse & ægrum mori, qui forsan non superuenirent nisi ex continua læsione mechulæ, quia si vulnera septi transuersi ex se læthalia sunt, statim accidentia insinuant si postea superueniunt certum est hoc accidere per malum de nouo inflictum.

QVAESTIO III.

De vulneribus thoracis.

VTRVM in thorace aperiendo siue in vulnerẽ grauato materia, siue in purulenticis, debeat fieri in tertiam & quartam costam, vel inter quartam & quintam dubium est? prius ergo ante huius quæstionis disputationem videndum est, an debeat fieri computatio à costis veris, vel

ris, vel à costis spurijs: existimauerunt quidam faciendam esse computationem à verijs costis, id vero detestandum est: quia in ea parte nullum habebit exitum pus, vt refert Cornelius Celsus libr. tertio, capit. duodecimo, qua computatione facta ex spurijs existimant non nulli curiosi minandam esse apertionem inter tertiam, & quartam, suis conditionibus conuictam, sed ferè nullam rationem suæ opinionis afferunt, sed solum dicunt, ab anathomicis administrationibus edoctos fuisse, & certè ego testis oculatus fui illos maximè exercitatos fuisse in anathome, sed quòd magis est probant experientia, cui maximè adhibeo fidem: sed pace tantorum virorum, non possum magis defendere vnam opinionem, quam alteram, facta computatione, vt debet fieri à costis spuris, imo magis mihi arridet, quòd apertio, & manifestatio debeat fieri, inter quartam, & quintam costam: quam opinionem, primo confirmo ex anathome, nam quanto magis costæ inferiores sunt, magis adhæret illis septum transuersum: ergo multo magis ab eo discedendum est, nam & si in penetratione, eum non offendamus, cursus puris ad eum perueniens præpediendus est, quia facili negotio sua praua qualitate ipsum offendet. Secundo probatur quia aliter multo melius fieret in costis magis inferioribus, videlicet, inter primam, & secundam costam, quòd non est concedendum: iuuat ad hoc quòd ea parte, qua debet fieri, non est in parte anteriori vbi aligatur septum nec posteriori, iuxta radicem, spinalis medullę sed in media parte, vbi non nihil ab vtraque parte distat: his adde, quòd aduertit Hippoc. loco citato, vt fiat Valentibus viribus, & in ea parte in qua manifestus tumor appa ret, & dummodo pus non in totum extrahatur. Vt docet etiam Hippocr. libr. sexto Aphorismorum 27. simulque

cum his omnibus præsagiendum est, mortis periculũ, vt docet Hippoc. libr. de internis affectionibus, de modo tamen quo hæc apertio fieri debet, vide Albucasim cap. de reseratione thoracis.

QVAESTIO I.

De vulneribus ventris.

VTRVM in vulneribus ventris si omentum decidat, necessario sit amputandũ? per omentum ergo, intelligimus cirbum adipinum Græci Epiplon appellant: ferè omnes chirurgici medij seculi existimauerunt, amputandum omentũ esse, quia sua substantia adiposum ab aere alteratur, ex qua alteratione putredinem acquirit, & quòd magis est in his vulneribus si extraducitur cum sanguine super fusum eximitur, cum quo si reducatur necessario inquinabitur, & putredinem contrahit, ergo necessario amputandũ. Quã sententiam expresse confirmat Hippocr. libr. 6. Aphor. 58. in quo textu Galen. in cõm. affirmat gladiatori maximã partem omenti excidisse, & eam sæcuisse, in quo casu clarè verificatur vniuersam illã mollem omenti nisi excidatur putrefieri: ergo si omentum excidat necessario putrescit, & per consequens illa pars quæ excidit resecanda est. Sed his tamen non obstantibus, quòd est tenendũ breuiter dicendum, in vulneribus ventris cũ decisione omenti & extractione, non semper amputandum esse omentũ nisi quando longa mora præcesserit vulneris, vt longo tẽporis spatio extractum remanserit omentum, ratione cuius moræ, colorem mutet, aliter non est scindendum nec resecandũ, sed potius bona arte cum intestinis in suum locum reducendum: ita docet Galen. lib. 6. Metho. cap. 4. cum inquit,

ergo

ergo si breuius vulnus contingat occurratque dexter chirurgus, anteaquã infrigidetur omentum pannis calidis manibusq; in locum suum suauiter reponere procuret. Idem Auicen. 4. 4. tract. 1. cap. 7. cum cuius dogmate ista nostra sententia intelligenda venit, cum inquit, dum reducitur & curatur omentum, nõ permittatur, vt sanguis coaguletur: sed in hac curatione vnum maximè cõtrouertendum est, vtrum post cisionem omenti, liceat ipsum cauterisare? peritus vir Alcaçarensis censet, si optimè ligetur non indigere cauterio, & irridet omnes chirurgos, qui hucusq; ipsum cauterisarunt, qui adiposum cum sit facile cum cauterisatur dissoluitur ligatura, & dissipabitur: sed meo iudicio nõ instituit re medium, quo fluxus sistatur, est plenum vasibus, videlicet venis, & arterijs, & poterit fieri, vt cum diligenter reponendum sit omentum, ex scisura aliquis grumus sanguinis relinquatur, in concauitate ventris, & hoc multo magis & valde timorosum est, præsertim cum calore interno à quo oscula vasorum referabuntur, & fluxus interius commouebitur, ac proinde difficillimum est antiquorum præcepta dimittere: potissimum in rebus dubijs, & praxim concernentibus, maximè ergo attendendũ sententiæ Auicenæ loco ollato, cum dicit, non permittatur, vt sanguis intus coaguletur, ac proinde magis mihi placet sententia antiquorum, qui omentum præcisum cauterisant, de quo cauterio non tenendum est, quòd dissoluat: leuis debet esse cauterisatio, vt insinuat Guido. in capit. proprio, de scisura omenti.

QVAESTIO II.

De modo suitionis vulnerum ventris.

VTRVM vulnus ventris, quòd futura indiget profunda, vel mediocri sit vtendum, dubium est? sunt

quidam qui existimabant: futuram mediocrem exercendam esse, probantque, ex Galen. lib. 6. Metho. capit. 4. vbi docet, in his ergo consuendis media via eligenda est, ergo medio modo debet fieri futura, est enim minus dolorosa, & minus neruos offendit, sic ergo Galen. in ligamentis, & musculis suendis, futuras profundas vitio vertit, lib. 3. per genera multis locis, cuius opinionis fuit prædictus vir timens, quòd ex futura profunda plus iusto cutis arrugetur: sed salua pace tanti viri in hoc loco, nec profunda, nec leuis, nec media, sunt administrandæ, nisi tantum prospicere, vt suatur peritoneum, & caro musculosa vicissim, vt iubet Galen. loco allato, lib. 6. Metho. cap. 4. vt videlicet, ex vna parte suatur peritoneum, ex altera parte caro, ita vt in vna parte, profunda in altera media, simul comprehendatur, Galen. ergo quando media futura loquutus est intelligitur de modo suendi, vt nec plus iusto stricta, nec leuis fiat, sed debito modo. Itaque Galen. libr. sexto. Metho. capit. quarto. mediam viam non elegit in futura profunda, & superficiali, sed in modo suendi, vt nec plus iusto astricta, nec laxa fiat. Sed vnum inquisitione dignum est, cur Galen. in vulneribus ventris, recenter factis solum voluerit conuenire sanguinem emanare, in reliquis tantum vulneribus maximè conuenire docet: cuius difficultatis causa est, quia venter intus cauus est, & si aliquis grumus intus relinquatur, maxima symptomata excitabit: vnde Auicena quarta, quarti dicebat, caue ne aliquis grumus intus relinquatur, quia ibi non dimittendus est. Multi sunt neoterici qui supra hunc locum plurima dictata habent, sed nostro tenui ingenio non placent dicendo hoc fieri propter soliditatem membrorum, quia cum reliqua membra solida sunt si detineatur necessariò inflammationem excitabit, in ventre vero non continget, quia cauum est: sed certè quantum suspicor vel non intel-

ligo

ligo istorum interpretationem, vel ipsi labuntur, nam sic eadem esset ratio in vulneribus thoracis & capitis, in quibus necessario permittendum est, vt sanguis fluat moderatè: sed quòd magis est pro sua opinione affirmanda affe runt sententiam Auicenæ allegatam. 4. 4. vbi docet non oportere, vt sanguinis grumus coaguletur, nam potius implicat contradictionem si non fluat non concrescere & si fluat concrescere, & per fluxum minus vitabitur quã per retentionem, quod est impossibile. Poterimus, ergo dicere Gale. & Hipp. voluisse in vulneribus vêtris per expressionem nõ esse mouendũ sanguinis fluxum nisi libito effluat, quia per expresionẽ ita truditur, ad intima sicuti ad extima, propter diuersarũ partiũ contiguitatem, sed etiam se se offert. Altera expositio nõ minus curiosa videlicet, ex ventre nõ permittendũ esse fluxũ, quia si æger declinetur, vt sanguis extrahat omnia mẽbra cõcident & extrahẽtur exibuntq;, & hoc multo magis timorosum est: sed pace omniũ, nec vna, nec altera solutio placet nisi q in vulneribus ventris simul cum partiũ extraductiõe sanguis simul extra ducetur, & non indigere chirurgũ aliqua diligentia, ad sanguinis emanationem, & expresionem.

Quæstio, vel problema de vlceribus nasi.

VTRVM in vlceribus nasi competant medicamenta magis sicca, quàm in reliquis? & q competant placet probare, quia siccæ partes siccioraꝫ medicamenta desiderant, sed nasus est cartilagines, & osseus, ergo desiderant tales partes medicamenta magis sicca, maior nota est ex Galen. libr. 3. Metho. capit. 3. vbi docet, partes humidas si vlcere apprehendantur minus sicca exposcere, quam partes siccæ, significat

gnificat enim in his partibus maiorem receſum, quia vlcus affectus humidus eſt, & ratio dictitat, nam medicamenta, quæ pro oſsium carie commendantur, ferè epulotica, & exedentia ſunt: ergo pro harum partium vlceribus medicamẽta vehementer ſicca ſunt admouenda. Experientia tamen altera ex parte pugnat, quia medicamentis vehementer ſiccis ferotia cruſtoſa, & inquinata magis redduntur, & ita Cornelius Celſus lib. 6. capit. 6. expreſsè inſinuat cum difficultate his, remedium adinueniri, vnde nomen Græcum, ocenas habuerunt, & ob id inſtituit medicamẽta oleaginoſa, vel butyroſa, quibus curentur. Idem Paulus lib. 3. cap. 24. Alexander Tralianus lib. 3. capit. 11. In qua quæſtione inquirendum eſt, qua de cauſa in vlceribus naſi medicamenta minus ſicca, vel ferè butyroſa cõueniant, cum ſint partes ſiccæ? cuius problematis cauſa in eo conſiſtit, quia in omni vlcere dimouenda ſunt impedimenta quæ ſolent remouere vlceris curationem, teſte Galen. lib. 4. Metho. cap. 1. & libr. 2. de arte curatiua ad Glauconem cap. 8. in his ergo vlceribus ſemper perpetuũ impedimentum, videlicet cruſta, quæ prius dimoueri debet ad vlceris curationem, talis autem his medicamentis dimouetur, ac proinde potiuſquã alia vlcera prædictis medicamentis curantur. In quo dilemate non erit alienum quærere, quare huiuſmodi vlcera ſemper cruſtę concomitentur? reſpondes, ex aeris concurſu perpetuo egrediente, & ingrediente, ad reſpirationem neceſſario: primũ enim in ordine inſtrumentum reſpirationis naſus eſt, ex libr. 7. de vſu part. cap. 5. in quibus vlceribus curandis potiora medicamenta inſtituit Cornelius Celſus loco allato, ſed nos noſtra obſeruatione chirurgica vnum & maximum habemus confirmatum, videlicet aqua decoctione paſſularum, & ſi poſt cruſtullæ demollitionem decocto ſandalorum vtamur. Cui noſtro remedio tantam fidem poteris adhi-

ris adhibere vtque post longissimam ab alijs medicis remediorum administrationem (si fuisset decens cum iuramento affirmare) frustullis ossium deperditis, & expulsis vnicum remedium existere. Cuius experientiæ plurima exempla attulissem, nisi ægrorum famam consuluissem.

QVÆSTIO I.

De morbo Gallico.

QVAESTIO, ergo prima pro hoc morbo est vtrum competat sanguinis missio? existimarunt, aliqui non conuenire, sanguinis missionem, & primo probant, quia hæc est cacochimia frigida citra febrem, sed in hac non cõpetit sanguinis missio, probant consequutionem ex Auicen. 4. 1. c. 20. & ex Galen. lib. de sangu. missione. c. 9. peccat enim in his humor frigidus & corruptus, ergo potius vacuatione per pharmaciam quàm phlebotomia indiget. Secundo ex eo, confirmant, quia tales præ doloribus sunt imbecilli, sed his non competit sanguinis missio, ergo his vena secanda non est. Tertio confirmant, quia si aliquo tempore his phlebotomia cõpeteret, maximè illo tempore quo pustrillæ apparent, sed isto tempore non conuenit, ergo venæ sectio non quadrat: minor deducitur, quia tunc naturæ motus impeditur, talis enim morbus paulatim per eam partem criticare solet, sed talis motus necessario impediret, adde, ꝙ tunc ad centrum humor commotus, sanguinem ipsum magis inficeret. Sed his non obstantibus Nicolaus Massa defendit posse sanguinem extrahi, circa principia morbi, & in incremento quando febris lenta cõcomitatur ipsum, quam sententiam his demonstrationibus possumus confirmare. Prima demonstratio desumitur ex parte subiecti,

nam ſi apprehendat hoc malum corpus plenum ſanguineum, in hoc quantũuis contagium inficiat, niſi incipias à venæ ſectione, malum corrigere non poteris, ergo ſanguis in his mittẽdus. Imo plurimi viſi ſunt, quibus ſanguis extractus eſt, ſanos de repente euaſiſſe. Secunda demõſtratio deſumitur ex ſimilitudine aliorum morborũ, cum quibus ſimilitudinem habet, vt cum leproſis, & elephanciaticis, in quibus curationem auſpicatur Auicen. 6. 4. à ſanguinis miſsione, ergo à ſanguinis miſsione inchoãdum. Idem Galen. lib. 2. de arte curatiua, ad Glauconem cap. 11. de elephanciaſi, in qua auſpicatur à ſanguinis miſsione. Iſtæ tamen ægritudines maximam viciniam habent cum mentagra, vt clarè conſpicitur experiẽtia pauperũ, qui cũ non medentur facile in lepram & elephantiaſim degenerant, quæ demõſtratio peritiſsimi Leoniceli eſt, in libro quem conſtruxit, de morbo Gallico: ſed his omnibus adde ſententiam Auicenæ. 4. 1. cap. de phlebotomia, cum inquit, quare quando ægritudines ſunt materiales, per totum corpus diſperſæ, & mixti cum maſſa ſanguinea, cõuenientiſsima vacuatio eſt per phlebotomiã. Reſtat ergo ad ratiões oppoſitæ opinionis ſatisfacere, primo argumento reſpondet Maſſa, in ſecũdo tract. de morbo Gallico, cap. 8. quòd huiuſmodi paſsio quãuis ſit frigida habet latitudinem ſecundum magis & minus, pro ſubiecti conditione, in quo accedit, nam ſi accidat in nimis frigido, & pituitoſo, facili momento à ſanguinis miſsione lædetur, ſi accidat corpori ſanguineo ab ea curatur, & præſeruatur. Ad ſecundũ argumentum reſpondetur, vbi ſunt dolores melius huiuſmodi vacuatio conuenit, quia in vehementiſsimis doloribus vnicum auxilium eſt, ſed talis non debet fieri ad extremum, ſed quantum ſufficiat, reuellendo, nec virtus tunc temporis tam defeſſa conſideratur, vt non poſsit ſufferre iſtam euacuationem. Tertio argumento de puſtulis di-

cendum

cendum est, non impediri motũ naturæ, nam in vacuationibus paulatinis, existente plenitudine, vt natura non deficiat, in motu, naturam ipsam solemus exonerare, veluti in essere qui in tertianis febribus singulis accessiõibus cõtingit, vt docet Auicena 2. 4. in parotidibus, & docet Galen. lib. 2. per locos cap. 5. in his statim sanguis extrahitur, & non impeditur motus naturæ, imo exoneratur & impeditur strangulatio: ita in præsenti morbo impeditur maxima humorum ebullitio, & quòd magis aliquando præcauetur, febris prolixa, & morosa, quæ forsan enecaret, vel ad marasmum hominem duceret, vt contigit miseris, qui cum pro miseria non curentur macileenti imbecilles, & omnino impediti incedunt ostratim, in cuius argumenti responsione non placet solutio Alcaçarensis, in suo tractatu, quia nulla est comparatio huius morbi cum variolis, & morbillis.

QVÆSTIO II.

VTRVM in hoc morbo liceat vti vnguentis ex argento viuo) quæ mercurina appellant) ante exhibitionem ligni guaiaci? ferè omnes existimant nos non posse vti his vnguentis in morbo venereo, nisi præcedat ligni Indi decoctum, cuius sententiæ fuit eruditus Massa, in suo tractatu: propter quòd oportet vt præcedat exiccatio, & consumptio humiditatum, in qua hoc malum fundamentum habet. Secundo probant ex eo, quia huiusmodi curatio valde timorosa est, nam fit, & perficitur per spuitionem oris, ad quam vlcera oris maligna sequuntur symptomata gurgubionis relaxatio, ergo potius talia vitanda. Præsertim quando non debito modo fit administratio horum remediorum, solent multa mala sequi, hæmorrhagiæ epylipsiæ,

tremores totius corporis, ergo prius magis leuia remedia sunt tentanda à leuioribus vero inchoandum est iuxta dogma antiquorum medicorum, videlicet Galeni libr. 12. Metho. cap. 7. & libr. 5. cap. 12. & 13. & per consequens ab eis non est incipiendum. Sed his non obstantibus censeo, ab vnctionibus nos posse incipere curationē, quando plū-rimus prouentus pustularū, & fœda vlcera oris apparent, cuius nostræ conclusionis legitima ratio est. Primo, quia quo maximè natura vergit, & per loca cōferentia ducere, sed natura tentat expurgationē p os, ergo ea via medicus tenetur, tentare talem vacuationē, quia locus cōferens est, ex Galen. lib. 1. Aphor. 21. His adde, q medici antiqui hoc genus remedij adinuenerint, sumpta cognitiōe ex naturæ inclinatione ad os, q p has partes natura se ipsam exonera resoleat, vt per vlcera emanantia oris: cuius rei firmissimū argumentū afferā ex homine, qui cū relaxatiōe vuulæ apprehēderet, nullo alio malo apparēte, fœdā relinquit vxorem suā, cū quo sæpè cōtendens, an doloribus crutiaretur, vel malis pustulis, & vlceribus verendorū aliqñ corriperetur, negabat, & tandem sine vllo beneficio, nisi leuissimo medicamēto purgante vtendo natura ppria illū restituit Deo optimo maximo volente. Secūdo probatur quia frustra fiūt per plura, quæ possunt fieri per pauciora, sed quotiescūq; pustullæ apparent, certissima curatio est per vnctiones mercurinas, imo vt verius dicam, factis alijs diligētijs, ex ligno guaiaco, rebelliores reddūtur, vt passim cōfirmatur experientia. Argumētis alterius opinionis sit satis si dicamus, esse veram suam consequutionē, nisi in hoc morbo sicuti in alijs, pro diuersitate ægritudinis diuersa remedia cōpeterent, vnū cum pustullis, aliud sine illis quadrat medicamentū, præsertim cū Auice. 7. 4. c. de scabie praua. & cap. de assafati, vnguēta acerrima (facta leui purgatione) instituat ex arsenicis, videlicet sublimato argento viuo,

uo,& arsenico rubro, à quo edocti nostræ ætatis Medici vnguenta hæc instituerunt.

QVAESTIO. Vltima.

Vtrùm in vnctionibus morbi Gallici necessario requiratur diutina fermentatio.

IN hac difficultate pauca,& breuissima tractabũtur, sed valde commoda pro ægrorum salute, & medicorum maxima securitate, vt securius his medicamentis possint vti,est enim argentum viuum valde causticum,& quoliquãs medicamentũ,quo si nõ vtamur cũ præmeditatione in grauissima pericula incidũt miseri ægrotantes pro quo non erat præter rem disputare de facultate argenti viui, sed abundè ab Antonio Musa,& Massa hoc illustratum, & proinde non erit necessum de hoc amplius defatigari certũ est esse medicamentũ nimis calidũ, vt effectus eius indicat,coliquationis & sublimationis,quæ ab eo depromuntur,docet Galen.lib.4.simplic.c.19. vbi inter causticamedicamenta hydrargiros recenset: quo suppositobreuius quo potissimus difficultatem attingemus:fuerunt nõ nulli medici, & hodierna die periti & imperiti qui nulla præmeditatione præhabita vnguento isto mercurino recenter facto vtuntur:confisi in hoc ꝙ cum sit calidũ facillimo negotio cũ reliquis arte misceri poterit. Ita enim constat ex arte fermentationis, ꝙ ea quæ calida sunt facilius miscentur, & vltimo loco sunt fermentanda,vt habet Mesues in suis Canonibus vniuersalibus:timetur in his ne per maximã refractionẽ euanescãt in fermentatione, idque à longissima experientia obseruatũ est. Præterea probatur nõ esse necesse, vt hæc vnguẽta diu fermententur, quia in his in quibus vis, & facultas à qualitate occulta dignoscitur,solum ab experientia iudicatur lib.6.de sani.cap.4. sed

tantum authores antiqui habuerunt experientiam huius medicamenti sine discrimine, quòd proficit, ergo verè & realiter non indiget multa fermentatione. Sed tertia ratio & fortissima hæc est, argentum viuum cõmendatur exhibitum per partes interiores, vt Paulus lib. 7. cap. 3. vbi pueris exhibet argentum viuum, & plurimi testantur exhibuisse sine aliqua miscella, ergo mixtum tutius admoueri potest etiam sine longa fermentatione. Sed his non obstantibus censeo in omnibus vnctionibus expectandam diutinam fermentationem. Primo quia argentum viuum est substantiæ inconstantissimæ, dum magis hinc inde agitatur magis resilit, nunquam in eodem loco consistere potest, ergo longa meditatione & præparatione indiget. Secundo probatur ipsa experiẽtia, quia si vnguamur vnguentis recenter fermentatis, vel non proficiũt vel si quodãmodo leuare solent, fit cum maximo malo, corrodendo vasa vel febrẽ mortalẽ inducẽdo, ꝙ in quarto tract. Massa multis experientijs probat. Præterea tertio argumento cõuincitur, quia experientia patet, in emplastro viperino, in quo quãtũuis per sublimationẽ, emplastri ad formã perueniat necesse est, vt diu seruetur, & si acu vel alio instrumento tangatur & nõ appareat eiusdẽ coloris argenti viui, signũ est, quod nõ bene fermentatũ est. Quarto quis dubitat, ꝙ cũ sit venenosum multa & assidua fermentatione nõ indigeat: & sic maximè increpãdi veniũt multi viri periti, qui statim duobus diebus à fermentatione his vnguentis vtũntur. Sed anteaquã his satisfaciamus placet conditiones insinuare cũ quibus has vnctiones exerceri debẽt. Prima cõditio est, vt quantum possibile sit, vtamur his silenti luna vel decrescente, cuius causam prẽscitã, nõ possumus exhibere nisi quia oẽs euacuationes nõ ita certè fiunt nisi in decrescente luna, si tñ nõ sit possibile magis quocũq; tẽpore potest fieri, ita enim necessitas astrorũ cõiuncta est, cũ vrgen-

tia

tia ęgritudinis, docẽte Ptolomeo in cintiloquio. Secunda cõditio est, vt fiat mane & vespere nisi ęger plus iusto imbecillus sit, nã si imbecillis est sufficit vna vice in nocte. Ar gẽtũ viuũ spiritũ resoluit, & virtutẽ ꝑsternit. Tertia cõditio est, vt solũ iũcturæ illiniant, dũmodo caueãtur emũctoria & viscera quę nec à parte antica nec à parte postica sunt inungẽda. Ex horũ vnctiõe plurima mala visa sunt. Quarta cõditio vt fiat spatio quinq; vel sex dierũ, in quibus si nõ appareat aliquod insigne symptoma nõ est cessandũ, tale autẽ est maxima spuitio, vlcera oris maxima: post quę omnia accedit. Quinta cõditio, vt nõ leuet ab eodẽ syndone donec satis repurgatũ sit: postea, sex dierũ spatio lauacro ex herbis salutiferis lauetur. Sexta cõditio est, & maximè annotãda vt nullo medicamẽto cathartico vtamur, donec sit finita purgatio ꝑ os: ex cuius cõditionis opposito ad febrẽ incurabilẽ ægri deueniũt: quibus suppositis argumẽtis alterius sententiæ restat satisfacere. Primo argumẽto dices, verũ esse assumptũ, sed ꝓpter substantiæ grauitatẽ ad fundũ puenire, nisi diu misceat, & fermentet, ad secundũ argumẽtũ dices ꝙ quãuis antiqui nullã habuerũt notitiã miscellæ huius medicamenti, vel nullã fecerũt experientiã, verũ est, sed cũ lues gallica morbus sit recens, recens modus curãdi cũ eo medicamẽto est institutus. Sed tertio argumẽto salua pace Pauli, & aliorũ neotericorũ poteris rñdere ꝓnitiosissimũ esse dare argẽtũ viuũ ꝑ os, cuius rei testimoniũ præbet Auic. 2. can. c. ꝓprio, & sic hæc q̃stio manet soluta.

¶ Colofonica quæstio vtrùm his competant balnea.

VTRVM in hoc morbo balnea competant, maxima difficultas est? multi existimarunt balnea sulphurea, vel aluminosa maximè his conuenire, quia habent facultatem exsiccandi, quam sententiam multis experientijs refellit Massa in suo libro, tractatu quarto,

cap. 5.

cap. 5. de morbo Gallico. Sed insinuat causam eam esse, quia sunt sicca & terrea & debili calore prædicta, & ideo magis mouent, quam cõsumant, imo cõprimũt, & astringunt, & cutem corroborant. Sed salua pace tanti authoris ratio non placet nobis, quia sic frigidis morbis veluti guttę arteticę, podragræ, hydropi, nõ proficerent, cõsequẽs absurdũ est, ergo non tenet ratio: præsertim cũ assumpto balneo statim leuissima cura sudor promouetur: cuius rei firmissimã quotidianã habemus experientiã: & cõfirmatur, quia gallicati, si ingrediantur huiusmodi balnea, si debiles sint moriũtur, ergo non nocent propter debilitatẽ, sed propter aliam causam, quã amplam exhibemus in nostro tractatu de balneis termarum, vbi diximus causam in alio cõsistere: nam certè ista balnea maximè nocent, & ideo cũ diligentia inquirendũ quare his noceant: dicimus ergo his balnea sulphurea & aluminosa nocere, quia huiusmodi morbus radicem cõtrahit ab humore salsugineo, quare licet hæc balnea cõsumãt, augent, tamẽ intemperiem, & sic spiritũ consumũt & malam qualitatẽ nõ auferunt, sed semper lædunt his: quare vel interimunt gallicatos vel faciunt ipsos recediuare: & licet opinio Massæ vera sit ratio non quadrat (sunt enim hæc balnea fortissima) repugnat enim, q; hæc balnea exsiccent & astringant: sed placet inuestigare si ista balnea non cõpetunt: an balnea aquæ dulcis quadrare & conuenire possint? nã plurimi horũ qui hoc morbo deprehensi sunt, ferè per omnia ossa topheas materias patiuntur, & ante vnctionẽ indigent aliqua emollitione: talis cõparatur per balnei aquæ tepidæ balneationẽ, & sic ex quadraginta autoribus qui de morbo Gallico disputãt, ferè omnes exceptis duobus existimant ante fortis cutis euacuationes quæ per decocta vel per vnctiones fiunt, balneo aquæ tepidæ vtendũ esse. Sed salua pace tantorũ virorum, quia humida plus iusto sunt: videntur non cõuenire: nam

si prima

si prima facie videantur proficere, postea grauiter nocent, nisi forsan intemperie renum ex scandescentia apprehendantur, tunc magis iuuabũt, quã nocebũt, qua de causa: in quibus materia rebellis topheaq; est, ante vnctiones cõsue ui vnguento martiatonis inungere iuncturas, quæ postea mercurino vnguento illiniendæ sunt, eximiæ est vtilitatis & non solum si per se solis, his vnguentis vtamur, sed si in vnctionibus mercurinis talia vnguenta misceamus, firma & valida & certiora ad opus fiunt, de quorũ diuersa discriptione, vide Massam in proprio lib. tract. 4. c. de vnguẽtis.

Quæstio de Scrofullis.

VTRVM Serofullæ causticis debeãt curari quãdo nullis medicamentis cedũt? vt homines à remedijs medicorũ desperati, Galliam petunt, vt à Rege, Dei permissione remedium summis precibus petant. Et quod ista medicamenta causticа non cõpetant, patet, quia ista aposthemata scirrosæ naturæ sunt, & istis minimè cõpetunt medicamenta plus iusto calida, quia dissipãt, quod tenue est, & relinquũt quod crassum est induratũ, ergo nõ conuenit in his huiusmodi medicamẽtis vti. Antecedẽs Gale. est lib. 2. de arte curatiua, ad Glauc. c. 5. Præterea si his vtamur medicamentis huiusmodi strumæ malignantur, & cum his fient vlcera maligna, & corrosiua, ergo minimè conueniũt huiusmodi medicamenta. Eueniet ergo vlcus carcinomatosum, quod impensè irritabitur his medicamentis. Sed altera ex parte videtur nos posse vti his medicamentis per præceptũ Cornelij Celsi, q; medicina nõ curat ignis sanat, si ergo hæc aposthemata irrident medicamenta, ergo indigent igne vel aliquo medicamẽto, quod vicem ferri obtineat, tale est causticũ potentiale: de quo in præsenti sermo est, & forsan Galen. desperatus de curatione horũ tumorũ. lib. 14. Meth. 11. cũ dixit, & si hęc nõ pro-

ficiãt vstione curantur, tanquãvltimo remedio cõmittens eius curationẽ. Et ita ad finẽ capitis dixit, est porro ea quo que duplex, vel totũ quod corruptũ est scalpello exciden tibus nobis vel coactis, aliquo ex putrefacientibus vti, per putrefaciens medicamentũ intelligit Gale. causticũ poten tiale, vt arsenicum, vel hydrargiros, de quibus lib. 4. sim- pli. c. 19. latè disputat, vsum tñ horũ medicamentorũ latè ꝓbat experientia, vt ipsa peritos iudicet idiotas chirurgos, qui hoc medicamẽto vtũtur. Et hãc tueor sententiã (serua tis aliquibus seruandis) primũ quod obseruandũ duxi est, vt his medicamẽtis vtamur facta totius corporis vacuatio ne. Secunda conditio est, vt vtamur his causticis dũmodo circũ circa aliquod medicamentũ attemperans admõuea mus ne sua caliditate importunũ medicamentũ cum sit ce rebri, & humiditates quoliquet: cuius contrariũ facientes empirici existimant per oculos & os materiam strumarũ trudi, & determinari. Tertia conditio vt solum ista medi- camenta applicentur in Scrofullis non suppuratis, quia si suppuratæ sint, facili negotio iterum in inflammationem vocantur, & excitantur. Quarta conditio est, vt talia medi camenta nõ per se sola admoueantur nisi mixta cum tem perantibus. Ad quem vsum plurima medicamenta, à no- stris magistris instituta sunt, & inter plurima, hoc vnũ cer tissimũ est, quod sic paratur. Recipe vnguenti populnei vncias ij, opij, seminis Iusquiami, puluerizati ana dragm. j. & sem. sublimati puluerizati dragm. j misce cõtinua sub- agitatione. Ex quo sume quãtitatẽ vnguẽti pinij, facta scisu ra loco scrofulato & immite. Quinta cõditio & vltima est Gal. li. 14. Meth. c. 11. quod dũ ponitur causticũ caueamus à vasorũ trãsitu, quia aliqñ natura supra has carnes solet im ponere vasa, veluti sunt illæ quæ sunt sub auribus, aut è di- recto aurium, à quibus maximã indicationem sumit Ga- len. loco citato, & Guido in cap. proprio de Scrofulis.

QVAE-

Quæstio de vlcere sinuoso & antiquo.

DIsputatio proficua quæ licet à nonnullis neotericis tradita sit, nihilominus tamen eo stillo tradetur, vt chirurgicis ignorantibus manifestetur, est ergo querela vtrum vlcus sinuosum & antiquum possit aglutinari medicamentis aglutinantibus? ferè omnis misera chirurgicorum schola existimat nõ posse hoc modo curari, nã cũ carne debeat adimpleri & humiditates cõtinuo accurant carnis regenerationem impediunt, vnde Hippo. lib. de vlceribus, & lib. 6. Aphor. 45. docebat ne vlceribus annuis & antiquis sanationes difficiles, & cicatrices cauas fieri. Secũdo probant methodo curatiua, nam alia cura debetur vulneri & vlceri simplici: alia debetur cauo, cum deperditione ossis & carnis, alia debetur vlceri intemperato, siquidem vlcus simplex exposcit aglutinationem: compositũ carnis restaurationem vel ossis regenerationem: sed hæc non possunt acquiri, nisi medicamentis, nec restituentibus, & non aglutinantibus, ergo nec prima intentione, nec medicamentis aglutinantibus curari possunt. Quibus argumentis miseri & sua infœlici industria, hæc vlcera perpetua faciunt, & emanantia plurimis diebus ad hecticam, & perpetuam consumptionem ægros afferunt: quem successum sæpè vidi in peritis, & in imperitis medicis non videntibus aliquod exposcendum remedium, vt vulneris fluxus sistatur, & vlcus consolidetur: in quo tam inhumaniter se gerunt, vt magnum quid se gerere videantur, si quotidie maximam copiam materiæ extrahant, & ægros ad vltimum finem adducant. Propter quod existimamus, talia vlcera. (Etiam si caua plus iusto sint) aglutinantibus posse curari. Pro quo aduerte nos non intelligere per aglutinantia medicamenta, quòd omnino verè aglutinent, veluti sutura, vel ligatura, vt

aliqui existimabant, sed medicamenta quæ valeant carnẽ producere, cum stipticitate, quibus in vulnere & circum circa vtendũ: non enim oportet subito vulnus occludere, quia natura assueta ad locũ debilem mittere, detenta violentia, ad partem principẽ trãsmittet, & cito suffocabitur. Et ideo dixit Gale. & Hipp. in his necessario tardè fieri cicatrices & cauas: quibus vtendũ cẽsemus dũmodo nec dolor nec inflãmatio adsit, & vlcus occupet corpus à prauis humoribus mundatũ: quibus suppositis facile est argumẽtis alterius opinionis satisfacere, & vt in summa satisfaciamus dicito, q̃ in omni vlcere dũmodo nõ sit in emũctorio, circum circa vtendum est repercussiuis: quibus vtebatur Hippo. lib. 5. Aphor. 23. quo si vtaris si siccis vlcus medearis facili negotio vlcus restituetur, potissimũ si cum vino stiptico quotidie partem ipsam firmes vlceratã, cuius opinionis fuit Auicen. 4. 4. c. de vlceribus sinuosis, & Galen. lib. 2. de arte curat. ad Glauc. c. 8. de vlcere sinuoso, & Guido. in suo tract. de vlcerib. in 4. c. proprio de vlcere in peruio, & sic facili negotio poteris satisfacere, argumento vlcus cauũ vel indigere carnis, & ossis regeneratione, sed oportet subuenire grauissimo accidẽti, videlicet humorũ profluuio antiquo, cui ni subueniamus, in possibile est, vt cauitas cõsolidationẽ acquirat, fiet autem habẽdo rationẽ vlceris & totius corporis, beneficijs medicamẽti purgãtis.

QVAESTIO Vnica.

De fractura ossis.

VTRVM in fractura iuxta quartũ præceptũ Guidonis, si vulnus adsit, prius curandũ vulnus sit, quã de fractura tentandum aliquid sit dubitatur? nam si vulnus sit, secundũ transuersum, vt tota medulla ab osse extracta sit, nisi cito partes

ossis

osſis adæquentur cito putredinẽ contrahit, & facilè mors ſubſequitur, vt ꝓbat Hipp. lib. de fracturis. titul. 12. in calcanei oſſe: in quo nõ ſolũ docet, ſuo loco in fractura, reponẽdũ, ſed ſi ꝓpter obliuionẽ nõ repoſitũ ſit, cito corruptionẽ contrahere, & febres acutas inducere, ergo videtur ſtatim oſſa adæquãda: cuius rei firmiſsimũ argumentũ vidi plurimos interijſſe, vel mẽbra amiſiſſe, ſi ſtatim nõ adęquẽtur, quare cũ hoc negotiũ difficile ſit, & potius indigeat manifeſtatione, quã tretralibus argumentis, rem cõfundere, dicendũ inter oẽs huic querimoniæ melius ſatisfeciſſe tagauctium in lib. inſtitutionũ chirurgicorũ ſcopo. 4. ſi dicamus oſſa fracta cum vulnere nõ eſſe ſtatim cõponenda, ſe ratione vulneris ſanguinis fluxus, vel grumus ſanguinis incauitatẽ oſsis inciderit, niſi cõpeſcat̃ fluxus, & grumus abſtergatur, impoſsibile eſt oſſa cõponere, quibus factis ſtatim oſſa cõponere eſt neceſſe. In quo aduerte Cornel. Celſum plus iuſto timidũ extitiſſe: qui in ſimili caſu li. 8. c. 2. exiſtimat, ſolũ ligaturam ſufficere & laxam: minimè applicare ferullas vel tabellas, nam poſt emundationem vlceris cõpreſſo vulnere ab inferis ad ſupera, aglutinando, prohibet alicuius materiei extraneæ ingreſſum, nec Hippoc. hoc timuit lib. de fracturis tit. 30. niſi ꝓpter dolorem: ꝙ ſi appoſitis accreſcat dolor, tũc ligaturã remitrere oportet, & hactenus de hac quæſtione chirurgica: in qua hodie tam incerti ſunt chirurgici, vt melius ſit totũ negotiũ cõmittere impoſtoribus. Vnũ tñ pro curatione aduerte vt cũ membrum fibulis, ſit apprehenſum foramẽ fiat in ipſis fibulis, vt materia emundetur.

Quæſtio de Eriſepellate.

VTRVM in mero Eriſepellate inchoandũ ſit ſemper à ſanguinis miſsione vel à purgatiõe dubitatur? & videtur, quòd ſit inchoandũ à ſanguinis miſsione: nam

fit à sanguine tenuissimo, ergo debetur ei phlebotomia, maior nota est, ex Gale. lib.1. de arte curat.ad Glauc.ca.1. vbi docet, vel fieri ex bile, vel ex sanguine tenuissimo. Secundo confirmatur ex natura etiam erisepellatis, quia est veluti scandescentia, sed hanc scandescentiam egregiè attemperat sanguinis missio, ergo à sanguinis missione inchoandum, tandem. Tertio probatur, quia in.3.4.c.de erisipellate iubet Auice. sanguinem esse mittendum quando erisipelles est inter duas cutes, in quo situ certum est materiam esse tenuissimã, ergo in omni erisepellate sanguis mittendus est: nam si Auicena in erisipellate, ex humore tenui non timet, ergo in nullo, erisipellate timendũ. Quarto probatur & deducitur, nam Hipp. lib. 4. de victus ratione in acutis text.21. initio. cum incipit obsesa inflãmatione &c. docet sanguinem esse mittendum in omni inflammatione bilisa, tam in herpete, quam in erisipellate, ergo prius in erisipellate sanguis mittendus est. Et confirmatur per Gale. in cõm.92. Galen. in cõmentario docet Hippoc. facere cathalogum de morbis in quibusque vtraque vacuatio est necessaria: sed existente æquali necesitate, inchoandum est à sanguinis missione, ergo in erisipellate vtraque vacuatio est necessaria, & incipiendum esse à sanguinis missione. Cõtrarium constat ex Gale. lib.14. meth. c.3. & lib.2. de arte. ca.2. manifestè ibi. In qua controuersia diluenda forsan erat necesse afferre originem causæ erisipellatis, vt facilius constaret de genuino remedio, sed quoniam abundè satis Valeriola, de hac disputat, non licet quæ ipse differit transcribere, ibi poterunt curiosi videre libr. tertio. enarrat. enarratione tertia. qua doctrina suppositа, licet iam satisfacere quæstioni per aliquot conclusiones. Prima conclusio est in legitimo erisipellate incipiendum est à purgatione, imo solum competit purgatio, cuius causam insinuat Galen. libr. 14. Methodi

cap.3.

